COMPENDIUM THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ,

Accuratâ methodo sic adornatum,

Ut sit

Ad SS. Scripturas legendas,
Ad Locos Communes digerendos,
Ad Controversias intelligendas,

MANUDUCTIO.

AUTORE
JOANNE WOLLEBIO SS. Th. D.
& in Acad. *Basil.* Profess. Ord.

Editio novissima, Prioribus omnibus tum auctior, factâ ex adnotationibus viri Cl. Alexandri Rossæi accessione, tum emaculatior: In qua quædam omissa restituuntur; quàm plurima SS. Scripturæ Testimonia, quæ in superioribus Editionibus falsò) diligenter examinatis locis, rectè citantur; Typographica, aliaq;, quæ Operarum incuriâ irrepserant emendantur; totius denique Systematis Analysis in XI. *Tabellas tribuitur.*

OXONIÆ,
Excudebat H. HALL, Impensis ROB. BEAGRAVE
& JOHN FORREST M. DC. LV.

SALUTIS CATENA.

DEUS *ordinavit*,
VERBUM *promittit*,
CHRISTUS *meruit*,
SACRAMENTA *obsignant*,
FIDES *recipit*,
OS *fatetur*,
OPERA *testantur*.

Præ-

Præfatio ad Lectorem.

Præclarè B. Apostolus ad Timotheum suum (2. *Epist.* 1. 13.) scribit, Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Digna utique commonefactio, quæ cùm omnibus Christianis tum iis imprimis inculcetur, qui se totos Theologico studio mancipârunt. Ut enim cujusque hominis Christiani interest, minimùm præcipua capita catechetica tenere, quorum ductu Verbum Dei fructuosiùs audiat & legat; ità sacrarum quoque Literarum studiosos, ante omnia corporis Theologici anatomen memoriæ suæ imprimere convenit, ut Locos Communes, Definitiones & Distributiones rerum Divinarum, in numerato habeant. Atque hoc in genere, viri longè uberiore Spiritûs sancti unctione instructi, talia studiosæ Juventuti submiſtrârunt adminicula, ut, qui alia iis superaddere satagit, multis lucernam in meridie accendere, aut sidera cœlo addere velle, non immeritò videatur. Verùm enim verò cùm conscientiæ & vocationis ratio ab unoquoque Dei servo efflagitet, ut, quæ ad publicam utilitatem faciunt, ipse quoque sedulò promoveat; Professionem Veteris Testamenti, mihi, priùs ad Pastoratûs præcipui officium vocato, demandatam, Divini auxilii fiduciâ fretus, venerandi Collegii Theologici jussu & arbitrio sic auspicatus

ſpicatus ſum, ut præter textuales prælectiones, Auditorio noſtro iſtiuſmodi ὑποτυπώσιν ſanorum ſermonum, ex multorum aliorum lucubrationibus depromptam, & in compendium redactam, propoſuerim. Etſi autem hoc meum inſtitutum, quam plurimis gratiſſimum fuiſſe animadverterim, teſtor tamen me nihil minùs quàm ejus divulgationem in animum induxiſſe. Quod igitur nunc demum ſeptennis hic partus in lucem prodeat, ne ſcribendi pruritui, ſed crebris ſolicitationibus, quibus mihi extortus eſt, id imputet amicus Lector, obnixè rogo; Deum precatus; ut pia docentium & diſcentium agmina, per ejus miſerationes (quæ novæ ſunt ſingulis matutinis, quibuſq; hoc unicè debemus, quòd non omnes ſimus abſumti) reſidua clementer conſervet; diſperſa verò gratioſè recolligat & inſtauret, propter Filium ſuum unigenitum, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Amen.

In

In SS. Theologiæ Epitomen
à Reverendiss. & Clariss. Viro

D. D. JOAN. WOLLEBIO,

Antistite & Professore dignissimo,
bono publico editam:

INstituit multos discentes atque docentes
CALVINUS, laudem hinc ut ferat ille Liber:
Præter Apostolicas post Christi tempora chartas
Huic peperere Libro secula nulla parem; (*brev*
POLANUS methodo illustrat SYNTAGMA cele-
Mortuus ut vivens agmina nostra docet.
Quicquid uterque docet, doctâ hic brevitate docebit
WOLLEBIUS paucis dicere multa potis.
Tu, qui pastores, Doctores, atque Prophetas
Largiris, cœtum pascere perge tuum.

JOAN. GROSSIUS
Basil. Pastor. Eccles.
Leonard.

Aurea felices didis Compendia in auras,
Et verâ Muſas inſtruis Euſebiâ,
Orthodoxa tuo ſolidè comprenſa libello
Doctrina, egregiis ſerviet ingeniis.
Jehova tibi vitam virēſque æternet, & uſque
Te jubeat longa dexteritate frui.
Sentiat optatam diſperſa Eccleſia pacem,
Et repetant miſeri paſcua lata greges.

JOAN. JAC. GRASSERUS,
Ecc. Miniſter.

PRÆ-

PRÆCOGNITA CHRISTIANÆ THEOLOGIÆ.

THeologia Christiana, est doctrina de Deo ad ipsius gloriam & salutem nostram, cognoscendo & colendo.

CANONES.

I. *Vox* Theologiæ *cum πολυσημὸς sit, hoc loco, de ea Dei cognitione intelligitur, quam homo Christianus in hac vita, ex Dei verbo assequi potest.*

Theologiæ vox καταχρησ τικῶς, etiam de Gentilium Theologia usurpatur, quæ triplex erat: *Poetica*, μυθικὴ seu fabulosa: *Philosophica*, φυσικὴ seu naturalis: & *Sacerdotalis*, πολιτικὴ dicta, eò potissimum faciens, ut qualicunq; religionis exercitio, populus in officio contineretur. Verè autem dicta Theologia, *Archetypa* est, aut ἔκτυπα. *Archetypa* est cognitio quâ Deus cognoscit se ipsum, quæ re ipsâ non differt à Dei essentia. *Ectypa* est *Archetypæ* quædam effigies, primario quidem in *Christo* θεανθρώπῳ, secundariò vero in *membris Christi*. Cum vero membrorum Christi pars in cœlis triumphet, pars in terris militet; triumphantium Theologia, nominatur *Theologia Beatorum*; militantium vero, *Theologia Viatorum*.

II. Theologia, *hoc loco, non ut habitus in intellectu residens, sed ut præceptorum systema, consideratur, ideóque per* doctrinam *definitur.*

Differt enim *Theologia* præceptis comprehensa, à Theologiæ habitu, ut causa efficiens ab effectu. Quæritur autem si Theologia, ut habitus intelle-

ctûs consideretur, quod ei genus ex habitibus intellectûs assignandum foret? Sanè nullum est quod solum ac secrsim sumptum definitio non sit angustius: Cum enim *Intelligentia* principia apprehendens, *Scientia* conclusiones ex principiis demonstrans, & *Sapientia* ex intelligentia & Scientia emergens, habitus merè contemplativi; *Prudentia* verò habitus activus, mentem in actioni-busdirigens, & *Ars* habitus cum recta ratione effectivus sit: *Theologia* partim in contemplatione, partim in actione consistit. Ideo *Theologia Sapientia est & Prudentia*; *Sapientia* quatenus per intelligentiam divinitus illumina am principia apprehendit, & per Scientiam conclusiones exinde demonstrat; *Prudentia* verò, quatenus animum hominis in actionibus suis dirigit.

III. *Principium Theologiæ, essendi quidem Deus est; cognoscendi verò, Verbum Dei.*

IV *Verbum Dei initio ἄγραφον ante Mosis tempora; ἔγγραφον autem est, ex quo Deus illud sapientissimo suo consilio, inde à Mose, per Prophetas & Apostolos consignari voluit.*

A. R. Theologia speculativa potiùs censenda est, quàm Practica: tractat enim primariò de rebus divinis; humana non nisi secundariò attingit. At verò quatenus est Scientia Practica cæteris omnibus Scientiis, quibus est a Praxi nomen, longe antestat, quoniam hunc tibi scopum finémque propositum immediatè habet, quò cæteræ, suopte quidem ordine, sed tamen mediatè magis collineant. Potest etiam et Theologia *Sapientia* appellari, quia in causam primam atque præcipuam inquirit atque contemplatur, non tantùm quà se per effecta aperit atque ostendit, verùm etiam prout ipse in se cognoscitur.

Pontificii

Pontificii, ut pro verbo Dei ſcripto, ſuas obtrudant traditiones, fortuitis tantùm occaſionibus illud ſcriptum eſſe dicunt. Verùm reclamant tot mandata ſcribendi Prophetis & Apoſtolis data, Ex. 17, 14. & 34, 27. Deut 31, 19. Eſaiæ 8. 1. & 30, 8. Ierem. 39. 2. Habac. 2. 2. Apoc. 1. 11, 19. & 14. 13. & 19. 9. & 21. 9. Reclamant teſtimonia Apoſtolorum, qui nihil humano conſilio dictum aut ſcriptum eſſe pronuntiant. *Ioan. 20. 31. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, &c.* Rom. 15. 4. *Quæ antea ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* 1 Cor. 10. 11. *Hæc ſcripta ſunt ad noſtri admonitionem.* 2 Tim. 3. 16. *Tota Scriptura divinitus inſpirata eſt*, 2 Pet. 1. 20, 21. *Si illud primum noveritis, nullam prophetiam eſſe propriæ explicationis. Non enim libidine hominis allata eſt olim prophetia, ſed acti à Spiritu ſancto locuti ſunt ſancti Dei homines.* Reclamant denique præcepta, quibus ad verbum ſcriptum in rebus ſalutis ablegamur. Iſ. 8. 8, 20. *Ad legem & teſtimonium.* Ioan. 5. 39. *Scrutamini Scripturas.*

v. *Nullum igitur aliud Theologiæ principium, quam* Verbum Dei Scriptum *agnoſcimus.*

A. R. Non aliud Theologiæ principium agnoſcit, quàm verbum dei Scriptum, quod ſit principium cognoſcendi: quod eſt primum principium atque inſtrumentum unde deducimur in cognitionem tum finis tum mediorum Theologiæ, atque unde cætera Theologica præcepta firmiter colliguntur, concluduntur. Eſt nihilominus aliud principium Theologicum, Scilicet principium eſſendi, qui eſt Deus ipſe.

vi. *Sacram Scripturam* divinæ originis & autoritatis eſſe, *principium eſt inter omnes Chriſtianos, extra controverſiæ aleam poſitum.*

VII.

VII. *Quæstio igitur*, An Scripturæ seu Sacrâ Biblia sint Dei Verbum? *homine Christiano indigna est.*

Ut enim in Scholis contra negantem principia non disputatur; ità indignum judicare debemus qui auditur, si quis Christianæ Religionis principium neget.

VIII. *Quæstio verò hæc*; Quo testimonio Sacrarum Scripturarum divinitas nobis innotescat? *docendi & non seducendi aut cavillandi studio mota, inter Christianos locum habet.*

IX. *Testimonium autem hoc duplex est: principale & ministeriale. Principale est testimonium Spiritûs sancti, foris, in ipsa scriptura; intus verò in corde ac mente hominis fidelis ab ipso illuminati, loquentis, eique Scripturæ divinitatem persuadentis. Ministeriale verò testimonium est testimonium* Ecclesiæ.

Foris in Scripturis ipsis, de divina Verbi origine & autoritate, Spiritus sanctus passim talibus formulis testatur, *Verbum Domini. Sic ait Jehovah, Dixit Jesus. Tota Scriptura divinitus inspirata est.* 2. Tim. 3. 16. *A Spiritu sancto acti, loquuti sunt sancti Dei homines.* 2 Pet. 1, 21. intus verò, cordibus fidelium Scripturæ divinitatem persuadet: quatenus homini Scripturas prævia eius invocatione legenti, oculos aperit, mentémque ejus sic illuminat, ut mirabilia Dei cernat, & vocem Spiritûs Dei in scripturis sonantem agnoscat.

Pontificii solius Ecclesiæ testimonium urgent; tantique illud faciunt, ut omnem Scripturæ autoritatem ab Ecclesia pendere contendant, & ob hanc solam causam pro Verbo Dei habendam clamitent, quòd Ecclesia hoc testetur. Quod sane non tantum est, de Scripturæ divinitate testari, sed eam demum divinam facere. Nos verò solius Spiritûs sancti testimonium, divinitatem Scripturæ, firmiter nobis persuadere, his argu-

argumentis probamus. 1. Cujus inſpiratione Scripturæ ſunt exaratæ, ejus teſtimonium de Scriptura firmiſſimum eſt; ſuam enim manum ac proprium ſigillum quiſq; optimè agnoſcit. Atqui inſpiratione Spiritûs ſancti exaratæ ſunt, 2 Tim. 3, 16. 2 Pet. 1, 20, 21. Ergò, &c. 11. Qui fidelibus unà cum Scripturis individuo nexu promittitur, ejus de Scriptura teſtimonium firmiſſimum eſt. Atqui Spiritus ſanctus fidelibus individuo nexu cum Scriptura promittitur, Eſay. 59. 21. *Spiritus meus qui in te eſt, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo.* 111. Sine cujus illuminatione mirabilia Scripturæ nemo videt, ejus ſolius teſtimonium de Scripturæ autoritate firmum eſt. Atqui ſine Spiritûs ſancti illuminatione mirabilia Scripturæ nemo videt, Pſ. 119. 18. *Retege oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege tua.* Ergò, &c. 1v. Cujus officium eſt nos in omnem veritatem ducere, ejus teſtimonio quoque hæc veritas innotefcit, quòd Scriptura ſit Dei Verbum. Atqui Spiritûs ſancti officium eſt, *nos in omnem veritatem ducere*, Joan. 16. 13. Ergò &c. Jam ad Eccleſiæ teſtimonium quod attinet, tametſi illud tanquam à Dei Miniſtra, acceptandum ſit, falſo tamen ſtatuitur, Scripturæ autoritatem ab illo dependere; quid enim abſurdius, quàm Patris familias verba à famulo, literas parentum à Tabellario, mandata Magiſtratûs à Typographo, autoritatem ſuam habere, regulámque à regulato dependere? Scimus, *Eccleſiæ credita eſſe Dei eloquia*, Roman. 3, 2. *eámque columnam & ſtabilimentum veritatis eſſe*, 1 Timoth. 3. 15. Verum ut ineptè dicere. tur candelam, lucem à candelabro habere, licet ei inſiſtat: ita ſtultè quoque Scripturæ autoritas Eccleſiæ tranſcribitur. Teſtimonium Eccleſiæ valet apud eos, qui Scripturæ adhuc ſunt ignari. & nondum acceperunt *lac illud ſermonis ſinceri, nec per illud adoleverunt*, 1 Pet. 2. 2. Scripturæ verò a Spiritûs ſancti teſtimonium firmum eſt ac efficax in illis, qui ſuavitatem divinorum oraculorum ipſi guſtârunt. Ut enim longè certius novit mellis dulcedinem, qui mel ipſe guſtat, quàm qui alii de ea loquenti & teſtanti credit; ita multò certius novit Sacras literas Dei Verbum eſſe, qui ſuavitatem illarum ipſe

ipse degustat, quàm is, qui Ecclesiæ tolum hoc dicenti credit. Samaritani primum mulieri de Christo testanti credunt; sed ex quo Christum ipsi audiverunt, mulieri dicunt. *Non amplius propter tuos sermones credimus, ipsi enim audivimus & scimus hunc esse Servatorem illum mundi, Christum*, Joan. 4. 42. Sic quis Spiritûs sancti auxilio impetrato Scripturas legit & relegit, tandem pronunciat, Iam non amplius propter Ecclesiæ testimonium credo Sacras literas esse divinas, sed quia ipsem et legi, & legendo hunc syllogismum menti meæ impressi.

Quæ Scriptura 1. *passim Deum ipsum loquentem introducens*: 2. *Ab iis hominibus exarata, qui prophetiæ ac miraculorum donis divinitus & extraordinarie instructi, eâ fide cuncta referunt, ut in peccatis ac vitiis memorandis, nec sibi, nec suis parcant.* 3. *Res non solum veras & rectæ rationi consentaneas, sed divinas quoque & rationem omnem transcendentes.* 4. *Divino modo & miranda circumstantiarum, in eadem, à variis recensiti* παναρμονία. 5. *Ad unius Dei gloriam & nostram salutem.* 6. *Admirabili cum efficacia, in cordibus movendis, & adversus exquisitissima supplicia corroborandis*: 7. *Accedente miraculosa ejus contra Diaboli & Tyrannorum furorem conservatione, tradita; illa sine dubio divinæ & originis & autoritatis existit.*

Atqui talis est Scriptura sacra,

Ergo *divinæ est originis & autoritatis.*

Ut igitur rem in summam contraham, *Ecclesiæ testimonium* prius est tempore; *Spiritûs sancti* vero prius est naturâ & efficacia. Ecclesiæ credimus, sed non propter Ecclesiam; Spiritui autem sancto creditur, propter se ipsum. Ecclesiæ testimonium τὸ ὅτι monstrat; Spiritûs sancti verò testimonium τὸ διότι demonstrat. Ecclesia suadet; Spiritus sanctus persuadet. Ecclesiæ testimonium opinionem; Scripturæ verò testimonium scientiam ac fidem firmam parit.

x. *Libri Scripturæ Canonici Veteris Testamenti sunt, aut Novi. Ad vetus Testamentum pertinent,* Pentateuchus Mosis, Josue, Judicum, Ruth,

Ruth, *singuli*: Samuelis, Regum, Chronicorum, *bini*: Esræ, Nehemiæ, Estheræ, Jobi, Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis, Canticorum, Prophetarum quatuor majorum & duodecim minorum, *singuli*. *Novi verò Testamenti sunt*, Quatuor Evangelia; Acta Apostolorum; *Epistolæ Pauli*, ad Romanos *unica*, ad Corinthios *duæ*, ad Galatas, Ephesios, Philippenses & Colossenses, *singulæ*, ad Thessalonicenses & Timotheum *binæ*, ad Titum, Philemonem & Hebræos, *singulæ Epistolæ item*, Petri *duæ*, Joannis *tres*, Jacobi & Judæ *singulæ*, & Apocalypsis.

XI. *Libri verò* Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Esræ 3, 4. Maccabæorum 1, 2, 3. Baruci, 1 Oratio Manassis, Epistola Jeremiæ, Adjectiones ad Danielem & Estheram, *etsi utiliter legi possint, non tamen eandem cum Canonicis autoritatem in probandis fidei articulis obtinent, idcóque* Apocryphi, *hoc est Absconditi, nominantur.*

Rationes sunt. 1. Quia non à Prophetis, sed post Malachiam, Prophetarum ultimum, maximam partem scripti sunt. 2. Quia non prophetico stylo, Hebraico nimirum, exarati sunt. 3. Quia in Novo Testamento nusquam citantur. 4. Quia illos legenti multa Canonicis contraria, ἀνύσατα, fabulosa, fidei & pietati repugnantia, occurrunt.

XII. S. *Scriptura ad salutem perfecta est.*

2 Tim. 3. 16, 17. *Tota Scriptura divinitus est inspirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in justitia. Ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus.*

XIII.

XIII. *Ut igitur Ecclesiæ sanctiones, ad externorum rituum εὐταξίαν facientes, quo par est loco habendæ sunt; ità nulla traditio præter Scripturam, tanquam ad salutem necessaria, admittendæ est.*

Pontificii pro traditionibus Papanis non solum pugnant, sed eadem Scripturis æquiparant, imò præferunt. Nos verò Dei præcepto acquiescimus, qui Verbo suo nec addi, nec detrahi permittit, Deut. 4.2.& 5,33.&12,32 Apoc. 22,18.

XIV. *S. Scripturæ scrutatio omnibus Christianis incumbit.*

Ioan. 5.39. *Scrutamini Scripturas.* Coloss. 3. 16. *Sermo Christi inhabitet in vobis copiosè.* Nec obstat Sacrarum literarum, quam Pontificii prætendunt, obscuritas; etsi enim quibusdam locis obscurior sit, aliis tamen se explicat, & primarios Religionis articulos perspicuè tradit.

XV. *Translatio igitur ejus in linguam cuique genti vernaculam necessaria est.*

XVI. *Nulla tamen translatio authentica est, nisi quatenus cum Hebræis & Græcis fontibus congruit.*

XVII. *Etsi Scripturæ interpretatio Ecclesiæ demandata sit: summus tamen Judex interpretationis nemo alius est, quam Spiritus Sanctus in illa loquens.*

Esaiæ 59. 21. *Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo non recedent à te.* 2 Pet. 1.20, 21. *Si illud primum noveritis, nullam prophetiam esse propriæ explicationis. Non enim voluntate hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu Sancto loquuti sunt sancti*

sancti Dei homines. Sacrilegè igitur Pontificii hoc supremi Iudicis jus Ecclesiæ Romanæ, hoc est, Conciliabulis suis, aut etiam soli Pontifici arrogant.

XVIII. *Sensus cujusque Scripturæ non nisi unicus est: in Veteris tamen Testamenti Vaticiniis sæpe est compositus ex historia & typo.*

Exempli gratiâ, Hoseæ cap. 11. v. 1. in his verbis, *Quia puer Israël est, & diligo eum; ideò ex Ægypto vocavi Filium meum*, sensus est compositus; literaliter enim ac historicè de liberatione populi Israelitici ex Ægypto; typicè verò (ut mysticè de vocatione Christi ex Ægypto sunt intelligenda. Matthæi 2. 15.

XIX. *Media verum Scripturæ sensum investigandi sunt, frequens oratio; linguarum cognitio; fontium inspectio; argumenti & scopi consideratio; verborum propriorum & figuratorum distinctio; causarum, circumstantiarum, antecedentium & consequentium notatio ac Logica analysis, obscurio-rum cum illustrioribus, similium cum similibus, dissimilium cum dissimilibus comparatio; fidei denique analogia.*

XX. *Ut Deus proprium & primarium objectum; sic primarius quoque ac summus Theologiæ finis est.*

XXI. *Cum igitur summus finis & summum bonum idem sint, manifestum est, solam Theologiam Christianam nos rectè de summo bono docere.*

XXII. *Subordinatus SS. Theologiæ finis, est salus nostra; quæ in Dei communione & fruitione consistit.*

Partes Theologiæ duæ sunt: prior, de Deo cog-

cognoscendo; posterior, de eodem colendo. Prior fidem seu τὰ πιστὰ; posterior opera τὰ πρακτὰ complectitur.

LIBER PRIMUS
agens
DE DEO COGNOSCENDO,
CAPUT I.
In quo
De Essentia Dei.

DEus est Spiritus, à se ipso ab æterno existens, Unus essentia, Trinus personis, Pater, filius, & Spiritus Sanctus.

Cognoscitur Deus in se & in operibus suis.

In se cognoscitur, absolutè in Essentia; relatè verò in Personis.

Essentia Dei, cùm ex nominibus ejus, tum ex proprietatibus intelligitur.

A. R. Cognitio quam de deo hic habemus Nominalis prorsus est, non Realis. 2 Confusa, indeterminata, non distincta atque determinata. 3 Ex contemplatione effectuum oritur, estque adeò à posteriori. 4 Per viam negationis; non tam cognoscimus quid sit, quàm quid non sit. 5 per viam eminentiæ; cognoscimus utique, quod quæcunque perfectiones in creaturis elucent, eædem transcendentaliter atque eminenter in Deo reperiuntur. 6 Ex contem-

platio-

platione rerum moventium atque motarum cognoſcimus debere eſſe aliquod primum movens. 7 Ex variis gradibus Entitatis, Veritatis, Boritatis in creaturis, colligimus debere dari aliquam primariam Entitatem, Veritatem, Bonitatem, &c. 8 Ex contemplatione Entium contingentium atque poſſibilium, quæ ortui atque interitui ſubjacent, conficimus dari aliquod ens neceſſarium, a ſe (id eſt, non ab alio profectum) per ſe, a quo cætera entia quæ tam non eſſe poterant, quàm nunc ſunt, profluant atque dimanent.

Nomina Dei aut ab eſſendo petita ſunt, ut Jehova, Jah, Eheje, cui in Novo Teſtamento ferè nomen κύριος reſpondet; aut à potentia, ut El, Elohim; aut ab αὐταρκείᾳ, ut Shaddai: aut ab excelſitate, ut Helion.

CANONES.

1. *Nomen Jehova præcipuum & maximè proprium Dei nomen eſt.*

Deductum enim eſt à radice *Hajah*; *fuit*, ſicque ſymbolum eſt ſummi illius Entis, quod erat, eſt, & erit ab æterno, in æternum. Apoc. 1, 4, 6. quod idem ſemper manet *Pſal.* 102. 28. quodque eſſendi cauſa eſt aliis omnibus, Act. 17. 28. Hinc proprium Deo eſt, Eſa. 42. 8. Nec creaturis, niſi per metonymiam, quatenus ſymbola ſunt præſentiæ Dei, tribuitur; ut Altari, Exod. 17, 15. Arcæ, Pſal. 47. 6. & Hierosolymæ, Eze. 48. 35.

11. *Idem nomen in promiſſionibus & comminationibus divinis maximam vim habet.*

Hinc formulæ illæ, *Sic ſit Jehovah: Dictum Jehovæ, &c.* Quam verè enim Deus eſt, & ſibi ſimilis manet, tam certum quoque eſt Verbum ejus.

III.

III. *Nomen Elohim etsi plurale sit, non tamen personale, sed essentiale est, & idiotismo Hebraico de uno Deo & de singulis personis prædicatur, Unde non tres Elohim, sive Dii sunt, sed unus tantùm.*

Sicut in symbolo Athanasii rectè dicitur, *Omnipotens Pater Omnipotens Filius, & Omnipotens Spiritus sanctus, non tamen tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens:* sic, quia Elohim Deus à potentia dicitur, non tres sunt Elohim, sed unus, Psal. 7. 10. *Elohim Zaddik, Deus justè.*

Proprietates divinæ sunt attributa Dei, quibus se nobis infirmis cognoscendum præbet, & a creaturis distinguit.

CANONES.

I. *Proprietates in Deo, non sunt qualitates, aut accidentia, aut res ab essentia, aut à se invicem diversæ.*

Patebit hoc infrà, ex simplicitate Dei.

II. *Proprietates divinæ, nec ab essentia nec à se invicem separabiles sunt.*

Hic canon evertit dogma Lutheranorum, de transfusione proprietatum divinarum in humanam Christi naturam. Sic enim illi tribuitur ubiquitas, omniscientia, omnipotentia, quidni quoque æternitas.

Suntque proprietates hæ creaturis prorsus incommunicabiles, aut communicabiles in effectis analogis.

Prioris ordinis sunt, tum simplicitas, tum infinitas.

Accensentur

Accenſentur his immutabilitas & perfectio; ſed hæ nihil aliud ſunt quam πορίσματα, ſimplicitatem & infinitatem conſequentia.

Simplicitas eſt, quâ Deus ens verè unum, omnísque compoſitionis expers intelligitur.

Infinitas eſt, quâ Deus ens infinitè verum ac bonum, omnísque menſuræ aut termini expers cognoſcitur.

CANONES.

1. *Deus eſt ens verè & ſimpliciſſimè unum.*

Nempe, nec ex partibus; nec ex genere & differentia, nec ex ſubſtantia & accidentibus; nec ex potentia & actu; nec ex eſſe & eſſentia compoſitum.

A.R. Nulla eſt in Deo compoſitio neque Phyſica, neque Logica, neque Metaphyſica, quia in eo nulla eſt prioritas neque poſterioritas, quomodo in Compoſito partibus componentibus poſterius eſt ipſum totum. 2. In compoſitione eſt Actus, eſt & Potentia: atqui Deus eſt Actus purus. 3. In compoſitione partes a toto differunt: atqui in Deo nulla eſt diſcrepantia. 4. Formarum nulla eſt Compoſitio: atqui Deus totus forma eſt, eáque ſimpliciſſima. 5. Quicquid componitur habet ſuæ compoſitionis cauſam: atqui nulla eſt in Deo cauſa aut cauſatum.

II. *Nihil ergò in Deo eſt, quod non ſit ipſe Deus.*

III. *Dei eſſentia nobis incomprehenſibilis eſt.*

Finiti

Finiti enim ad infinitum, vasis angusti ad mare, nulla est proportio.

IV. *Deus ὅλως ὅλον est, seu totaliter totum: totus in se; totus in omnibus; totus in singulis; totus extra omnia.*

V. *Deus nec loco circumscribitur, nec loco defi-nitur, nec loco includitur, nec loco excluditur.*

VI. *Deus æternus est, sine principio, sine fine, & sine mutatione.*

Posterioris ordinis proprietates tùnt, Vita, quæ Deo in essendo: Intellectus, qui ei in cognoscendo: Voluntas quæ ei in imperando; Potentia denique, quæ ei in exequendo tribuitur.

CANONES.

I. *Proprietates posterioris ordinis, Deo, secundùm priores, hoc est, simplicissimè & infinitè tri-*

[redacted] *non in concreto tantùm, sed in abstracto Deo prædicantur.*

Nec enim tantùm vivens, sapiens, bonus, *justus*; sed ipsa vita, sapientia, bonitas, & *justitia* esse dicitur.

III. *Cùm vita Dei simplicissima & infinita sit; Igitur.*

I. *Vita Dei & vivere ejus, idem sunt.*

II. *Vivendi causam aliam non habens, vivendi tamen causa est aliis omnibus viventibus, sic ut ejus respectu mutuitiam & precariam vitam obtineant.*

III. *Vita Dei immutabilis, perfectissima & beatissima est.*

IV. *Cum intellectus Dei simplicissimus & infinitus sit, Igitur* 1. *Seipsum*

1. *Seipsum primariò, tanquam infinitum objectum cognoscit.*

II. *Omnia ut ut creaturis abscondita exquisitissimè novit.*

III. *Cuncta cognoscit per se ipsum.*

IV. *Idque uno & simplicissimo actu nec enim revelatione, nec discursu noetico, aut dianoetico, à notiori ad ignotius, opus habet.*

V. *Præterita & futura æquè ei nota sunt ac præsentia.*

VI. *Scientia Dei infinita est.*

VII. *Immunis ab omni ignorantia aut oblivione.*

V. *Cum voluntas Dei simplicissima sit; Igitur,*

1. *Nec duæ, nec plures, nec contrariæ sunt Dei voluntates.*

Variæ quidem sunt voluntatis distinctiones, ut infra doctrina de decretis divinis ostendet: sed nominis potius, quam rei sunt.

2. *Primarium voluntatis divinæ objectum est ipse Deus.*

3. *Voluntas Dei liberrima est.*

4. *Nihil fit nolente seu invito Deo.*

5. *Voluntas Dei, pro vario objecto, alia atque alia sortitur nomina; nimirum Sanctitatis, Bonitatis, Amoris, Gratiæ, Misericordiæ, Iræ, Justitiæ, & similium.*

VI. *Cum potentia Dei simplicissima & infinita sit; Igitur,*

1. *Potentia Dei unica est.*

2. *Verè omnipotens est Deus, & non solùm potest quicquid vult, sed plura, quàm vult.*

3. Ex

3. *Ex potentia Dei actus ſeu τὸ εἶναι rei non concluditur, niſi cum potentia conjuncta ſit voluntas.*

4. *Objectum omnipotentiæ Dei eſt, quicquid ejus naturæ non eſt adverſum, & contradictionem non implicat, adeóque non ἀδυναμίας potius eſt quàm δυνάμεως.*

Mentiri itaque, factum infectum reddere, corpus humanum facere infinitum, & ſimilia, Deo tribui nequeunt; hæc enim impotentiæ potius, quam potentiæ forent.

5. *Potentia Dei plane irreſiſtibilis eſt.*

CAPUT II.

In quo

De Perſonis Deitatis.

PErſonæ Deitatis ſunt ſubſiſtentiæ, quarum quælibet eſſentiam Dei totam habet, proprietatibus interim incommunicabilibus differentes.

CANONES.

1. Perſonæ, Triadis, & Ὁμοουσίου *vocabula, etſi voridem ſyllabis in Scripturis non reperiantur, Scripturis tamen conſentanea ſunt, & utiliter in Eccleſia uſurpantur.*

11. *Vox* Ὑποστάσεως & Ὑφισταμένου *latior eſt quàm vox* Perſonæ.

Ὑπόστασις

Τπόςασις & ὑφισάμενον est quælibet substantia singularis: Persona verò est substantia singularis completa, rationalis, & proprietate incommunicabili ab alia differens. Apostolus tamen Hc. 1. 3. vocabulo ὑποςάσεως pro persona μεταληπτικῶς utitur.

III. *Persona divina nec Dei seu Deitatis species est, nec pars ejus, nec res à Deitate alia; nec nuda relatio, nec τρόπος tantùm τῆς ὑπάρξεως: sed essentia Dei, cum certo τῆς ὑπάρξεως τρόπῳ.*

IV. *Nec tamen Persona compositum quid est ex ente & entis; nec essentia Dei & τρόπος τῆς ὑπάρξεως sunt res & res; sed res seu ens & modus entis.*

Personæ Deitatis tres sunt: Pater, Filius & Spiritus Sanctus.

A. R. Tametsi hoc vocabulum personæ sit toti individuæ Trinitati commune, non tamen de singulis prædicatur tanquam Genus aut species; quoniam in Trinitate personæ non distinguuntur numericè, nedum essentialiter; quo modo distinguantur necesse est, de quibus aliquid prædicatur tanquam genus aut species.

Pater est prima Deitatis persona, à seipso existens, Filium ab æterno gignens, & cum eodem Spiritum S. producens.

Filius est secunda persona, à Patre ab æterno genita, cum Patre Spiritum Sanctum producens.

Spiritus sanctus est tertia Deitatis persona à Patre & Filio ab æterno procedens.

CANO

CANONES.

I. *Trinitas, non numerus numerans est, sed numeratus.*

A: R: *Numerus numerans vel potest essentialiter intelligi, ut sit ipse Deus, Anima, aut Angelus: hâc enim ratione Plato animam appellat numerum. Vel accidentaliter sumi potest numerus numerans, pro quantitate illâ discretâ quam numerum dicimus, cujusmodi sunt duo, tres, quatuor, atque hoc sensu Trinitas non est Numerus numerans: Quandoquidem hujusmodi numerus omnis est accidens.*

II. *Trinitatis dogma, non est Ecclesiæ traditio tantùm, sed doctrina in Sacris literis expressa.*

Contra Pontificios, qui ad imperfectionem Scripturæ evincendam, contrarium asserere non verentur.

III. *Etsi Veteris Testamenti tempore doctrina SS. Trinitatis obscurior fuerit, non tamen planè ignota fuit.*

Gen. 1. 1. *In principio creavit Deus, cœlum & terram*, & v. 2 *Spiritus Dei incubabat superficiei aquarum* & v. 26. *Faciamus hominem*, Gen. 2. 23. *Ecce homo factus est sicut unus ex nobis.* Psal. 33. 6. *Verbo Iehovæ cœli facti sunt, & Spiritu oris ejus totus exercitus eorum*, 2 Sam. 23. 2. *Spiritus Iehovæ locutus est in me, & sermo ejus per linguam meam*, Esaiæ 6. 3. *Sanctus Sanctus, Sanctus est Iehova exercituum*, Esaiæ 63. v. 9. *Angelus faciei ejus (Dei Patris scilicet) servavit eos*, & vers. 10. *Ipsis rebellantibus & dolore afficientibus Spiritum sanctum ejus.* Quæ testimonia tametsi pertinaces Iudæi eludere satagant, Christianæ tamen menti satis faciunt.

IV. *Clariora autem testimonia sunt in Novo Testamento.*

Matth.

Matth. 3. 16. *Et aperti sunt ei* (Domino Iesu) *cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem. quasi columbam, & venientem super illum* & v. 17. *Et ecce vox è cœlis adfuit, dicens, Hic est Filius ille meus, dilectus ille, in quo acquiesco. Pater* &c. (ut Pulchrè Aug.) *auditur in voce, Filius manifestatur in homine, Spiritus Sanctus dignoscitur in Columba. Quod eleganter alius expressit, voce Pater; Natus corpore, Flamen ave,* Matth. 28. 19. *Baptizate eos in nomine Patris, Filii & Spiritûs sancti,* Ioan. 14. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis,* & 15. 26. *Cum venerit Consolator ille, quem ego mittam vobis a Patre.* 2 Cor. 13. 13. *Gratia Domini Jesu Christi, & charitas Dei, & communio Spiritûs sancti sit cum vobis omnibus* 1. Ioan. 5. 7. *Tres sunt, qui testificantur in cœlis, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus.*

v. *Accedunt his, probationes divinitatis Filii & Spiritûs Sancti. 1. à nominibus. 2. à proprietatibus. 3. ab operibus. 4. ab honoribus divinis. Ergò 1. Filii Deitatem probant,*

1. *Nomina divina.*

In Veteri testamento, *Angelus ille fœderis,* Malach. 3. 1. qui patribus frequenter apparuit, in præludium incarnationis, Dei Filius fuit, & passim appellatur *Iehovah* & *Deus* Gen. 16. 13. & 18. 1. & 32. 1. (qui locus conferatur cum Hoseæ 12 6.) Exod. 3. 15. Ios. 6. 2. Zach. 2 12. & 3. 1, 2.

Novi verò Testamenti testimonia clarissima sunt Ioan. 1. 1. *Et sermo erat Deus,* & 17. 3. *Hæc autem vita æterna, ut te cognoscant illum solum verum Deum & quem misisti Jesum Christum.* Ioan. 20. 31. *Hæc autem scripta sunt, ut credatis Iesum esse Christum, Filium Dei.* Act. 20. 28. *Ecclesiam Deus propria sanguine acquisivit.* Rom. 9. 5. *Deus benedictus in secula,* Tit. 2. 13. *Magnus ille Deus.* Talia in Apoc. frequentissima sunt.

11. *Proprietates divinæ.*

1 *Æternitas.*

Joan. 8. 58. *Priusquam Abrahamus esset, ego sum.* Apoc. 1. 8. *Ego sum α & ω, id est, principium & finis, dicit dominus, id est, Qui est, Qui erat, & Qui venturus est, ille inquam, omnipotens.*

II. *Omniscientia.*

Ioan. 2. 24, 25. *Noverat omnes: nec opus erat, ut quisquam ei testaretur de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine.*

III. *Omnipræsentia.*

Matth. 28. 20. *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

IV. *Omnipotentia.*

Ioan. 5 19. *Quæcunque Pater facit, hæc Filius pariter facit,* Heb. 1. 3. *Sustinet omnia Verbo illo suo potente.*

III. *Opera divina.*

Ioan. 14. 11. *Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me esse: sin minùs, propter ipsa opera saltem credite.*

IV. *Honor divinus.*

In ipsum credendum, Ioan. 3. 16. *In ejus nomen baptizandum,* Matth. 28. 19. *Ad ejus nomen flectendum omne genu,* Phil. 2. 10.

A. R. Filius est a patre, non tanquam effectus a causa, esset utique hoc tum prioritatem in Trinitate, tum dependentiam, tum diversitatem substantiarum concedere: sed ita est à patre quomodo intellectus est ab animâ, à fonte scaturigo, aut originatum ab origine.

II. *Spiritûs S. Deitatem probant,*

1. *Nomen, Deus.*

Actor. 5. 3. *Dixit autem Petrus, Anania, cur implevit Satanas cor tuum, ut mentiaris in Spiritum sanctum?* & v. 4. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.*

II. *Pro-*

II. *Proprietates.*

1. *Æternitas.*

Gen. 1. 2. *Spiritus incubabat superficiei aquarum.*

II. *Omnipræsentia.*

Psal. 139. 7. *Quo irem à Spiritu tuo? aut quò à facie tua fugerem?*

III. *Omniscientia.*

1 Cor. 2. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunditates Dei.*

IV. *Omnipotentia.*

Hæc ex operibus ejus manifesta est.

III. *Opera divina.*

1. *Creatio omnium.*

Gen. 1. 2. Psal. 33. 6. Ioh. 26. 13. & 33, 4.

2. *Conservatio omnium.*

Gen. 1. 2. *Incubabat aquis:* simile à Gallinis pullis infidentibus, eósque foventibus.

3. *Missio & unctio Christi.*

Esa. 61. 1. *Spiritus Domini super me, quoniam unxit me.*

4. *Dona linguarum & miraculorum.*

1 Cor. 12. 4. *Distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus.*

IV. *Honores divini.*

1. In eum credendum, juxta Symbolum. 2. In ejus nomen baptizandum, Matt. 28, 19. 3. Ad eundem preces dirigendæ, 2 Cor. 13. 13.

Apoc. 1. 4. ubi septem Spiritus dicuntur, non numeri, sed donorum respectu. Unde vetus Ecclesia canit, *Tu septiformis munere.*

V. *Differentia Personarum cernitur in ordine, proprietatibus, & modo operandi.* Ordine differunt,

quia Pater est prima, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia persona. Proprietatibus, *quia Pater non essentiæ tantùm, sed personæ ratione est à seipso, Filius à Patre, Spiritus sanctus à Patre & Filio.* Modo operandi; *quia pater à se Filius à Patre, Spiritus sanctus ab utroque agit.*

VI. *Trinitas personarum non tollit Unitatem essentiæ: tres sunt Personæ, sed unus est Deus.*

Deut. 6. 4. *Audi Israel, Iehova Deus noster, Iehovah unus est.* 1 Cor. 8. 6. *Nobis Deus unus est, Pater ille, à quo omnia & nos in ipso: & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Ephes. 4. 6. *Unus Deus et pater omnium.* 1. Tim. 2. 5. *Unus est Deus, & unus Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.* 1. Ioan. 5. 7. *Et hi tres unum sunt.*

VII. *Hinc vox* Deus, *nunc* οὐσιωδῶς *de tota SS. Trinitate, nunc* ὑποστατικῶς *de certa ejus persona usurpatur.*

Act. 20. 28. *Deus Ecclesiam proprio sanguine acquisivit.* Hic nomen Dei ὑποστατικῶς de Filio intelligitur.

VIII. *Unitas trium personarum SS. Trinitatis consistit in* Ὁμοουσία, Ἰσότητι, & Περιχωρήσει.

IX. Ὁμοουσία *seu* Ἑνουσία *est quâ tres personæ coessentiales seu ejusdem essentiæ exsistunt.*

Non enim sunt ὁμοούσιοι, id est, *similis essentiæ*; nec ἀνομοούσιοι, id est, *dissimilis essentiæ*; nec ἑτερούσιοι, id est, *diversæ essentiæ*, nec ταυτούσιοι, hoc est, *ejusdem essentiæ specificæ.*

X. Ἰσότης *est, quâ tres personæ Deitatis æquales sunt, essentiâ, proprietatibus, actionibus essentialibus, gloriâ, & honore. Unde Filius & Spiritus sanctus non minùs quàm Pater, est* αὐτόθεος, αὐτεζωὴ & αὐτοδικαιοσύνη.

XI. Περιχώρησις est, quâ personæ arctissimè unitæ sunt, ut mancat alia in alia, & cum alia.

Ioan. 14.11. *Credite mihi, me in Patre, & Patrem in me esse.*

CAPUT. III.

In quo

De operibus Dei, & de decretis divinis in genere.

SIc Deus in se consideratur. Nunc considerandus quoque in operibus.

Sunt autem opera Dei essentialia, aut personalia.

Essentialia sunt, quæ toti SS. Trinitati sunt communia.

Personalia sunt, quæ singulis personis sunt propria.

Utraque tum essentialia, tum personalia, sunt opera ad intra, aut ad extra.

Opus Dei ad intra est, quod non ad terminum extra Deum refertur:

Velut Intellectio, quâ Deus intelligit seipsum; | Generatio Filii, Productio Spiritûs sancti.

Opus Dei ad extra est, quod ad terminum extra SS. Trinitatem refertur.

Talia sunt Prædestinatio, Creatio & similia, quæ creaturas, tanquam terminum extra deum respiciunt.

CANONES.

1. *Unum idémque opus ad extra, diverso respectu, personale est aut essentiale.*

Sic incarnatio Christi, inchoativè, essentiale opus est, toti SS. Trinitati commune; terminativè verò opus est Personale solius Filii. Etsi enim Pater quoq; & Spiritus S. sit causa incarnationis Christi: solus tamen filius incarnatus est. Sic rametsi Creatio, Redemptio & Sanctificatio essentialia sint opera totius S S. Trinitatis; alioramen respectu personalia dicuntur. Pater enim *Creator* appellatur; quia fons est ut S S. Trinitatis, hic operationis, & Filius ac Spiritus Sanctus agunt à Patre: Filius *Redemptor* nominatur, quia assumptâ humanâ naturâ redemptionis opus peregit. Spiritus S. verò *Sanctificator* dicitur; quia ut Consolator, & Sanctificator à Christo mittitur.

11. *Opera ad extra sunt indivisa, seu omnibus personis communia.*

Hoc axioma ex priori consequitur: ut enim essentia communis est omnibus personis, ità opera quoque essentialia.

111. *Unumquodque tamen opus unum manet, principio essentiali, actu efficiendi & effectu ipso.*

Opera Dei ad extra sunt ἐμμένοντα, *immanentia* seu *interna*; vel μεταβαίνοντα, *transeuntia* seu *externa*.

Immanentia seu interna opera sunt, quæ intra Dei essentiam fiunt: atque huc pertinent Dei decreta.

CANONES.

CANONES.

1. *Non omne opus ad extra statim est opus externum.*

Decretum Dei est opus ad extra, quatenus ad creaturas seu rem extra Deum | refertur: est tamen opus internum, quatenus in ipsa Dei essentia permanet.

11. *Immanentia seu interna Dei opera, non sunt res ab essentia Dei diversæ,*

Quicquid enim in Deo est, Deus est, ut suprà ex simplicitate divinæ essentiæ collegimus: & ut in | Deo Essentia & Esse non differunt, ità in ipso Voluntas & Velle non realiter differunt.

Decretum Dei, est interna voluntatis divinæ actio, quâ de iis, quæ in tempore fieri debebant, ab æterno liberrimè & certissimè statuit.

CANONES.

1. *Appellatur* (a) ἀφορισμένη βελὴ, definitum consilium; (b) ἡ χεὶρ καὶ ἡ βελὴ τοῦ Θεοῦ, manus & consilium Dei; (c) εὐδοκία τοῦ Θεοῦ, beneplacitum Dei, & æterna Dei providentia.

(a) Act. 2. 23. (b) Act. 4. 28. (c) Eph. 1. 9. *Æterna verò Providentia* nominatur, ut distingua- | tur ab actuali Providentia, quæ nihil aliud est, quàm decretorum Dei executio.

11. *Nominatur quinetiam* Voluntas Dei, *& quidem* Voluntas beneplaciti.

Decretum reverâ est ipsissima Dei voluntas, docendi tamen causâ, Voluntas, ut causa efficiens, Decretum verò, ut effectum consideratur. Cæterùm | cum variè *Voluntatis* vocabulùm accipiatur, variis quoque modis à Theologis distinguitur: in voluntatem beneplaciti & signi; in antecedentem & consequentem:

quentem; in absolutam & conditionalem; in occultam & revelatam. Verùm hæ non sunt reales Voluntatis divinæ distributiones aut partitiones, sed tantùm nominis distinctiones Propriè loquendo, Voluntas Dei non nisi unica est, quæ *beneplaciti voluntas* dicitur; quia hæc pro liberrimo suo beneplacito, quid fieri debeat, decrevit: *voluntas* item *antecedens*, quia priùs quàm res ulla creata exsisteret, & ab æterno apud Deum rata fuit, *absoluta* quinetiam, quia solo Dei beneplacito nititur, nec ab iis, quæ in tempore fiunt, pendet; *occulta* denique, quia à priori nemini Angelorum aut hominum innotescit. Impropriè verò voluntatis divinæ nomine intelliguntur, quæ vulgatò comprehenduntur versiculo,

Præcipit & prohibet, permittit, consulit, implet.

Ut enim Magistratûs mandata Voluntas ejus appellantur; ità Voluntatis nomen tribuitur præcepris, prohibitionibus, promissionibus, nec non ipsis factis & eventis. Atque hæc *Voluntas signi* dicitur, quia significat quid Deo gratum sit, quid velit à nobis fieri; *Voluntas* quinetiam *consequens*, quia æternam illam antecedentem sequitur: *conditionalis* item, quia Dei præcepta, prohibitiones, comminationes, & promissiones adjunctam habent conditionem obedientiæ & inobedientiæ; *revelata* denique, quia hæc Verbo *Dei* quotidiè exponitur. Hæc distinctio Voluntatis probè observanda est, ne in Deo aut realiter diversæ aut contrariæ voluntates statuantur.

A. R. Scholastici aliter hic explicant, ita ut Antecedens Dei voluntas, velleitas planè sit & conditionata: Consequens autem voluntas Dei Absoluta est illis, & quæ semper finem suum assequitur, quo tamen altera aliquando frustratur.

111. *Præter voluntatem Dei non fiunt etiam quæ contra ejus voluntatem fiunt.*

Possunt

Possunt enim multa fieri contra voluntatem signi, quæ tamen conformia sunt voluntati beneplaciti. Voluntate signi Deus lapsum hominis noluit, imò severissimè prohibuit; voluit tamen ac decrevit eundem, voluntate beneplaciti; quatenus medium erat patefaciendæ gloriæ suæ.

IV. *Decreto igitur & voluntate Dei fiunt bona & mala; illa efficiente, hac permittente.*

V. *Decretum tamen seu voluntas Dei nullius mali aut peccati causa est: etsi quicquid decrevit Deus necessariò eveniat.*

Cum enim mala decreta sint, voluntate non efficiente sed permittente, Decretum Dei non est causa mali. Nec ideò mali causa est Dei voluntas, quod decreta Dei ἀμεταπτώτως, & inevitabilia sint; non enim eveniunt necessitate coactionis, sed necessitate tantum immutabilitatis.

VI. *Necessitas decretorum Dei non tollit libertatem in creaturis rationalibus.*

Ratio; Quia non est necessitas coactionis, sed immutabilitatis. Lapsus Adami decreti divini respectu necessariò evenit; interea tamen liberè peccavit Adam, nec jussus, nec coactus, nec impulsus à Deo: imò severissimè, nè peccaret, admonitus.

VII. *Nec tollit contingentiam in causis secundis.*

Multa enim causarum secundarum respectu contingentia sunt, quæ consilii Dei respectu necessariò eveniunt.

A. R. Voluntas Dei immutabilis est, quoniam substantia ipsius est immutabilis, & scientia ipsius invariabilis; quocirca Deus voluntatem non mutat, quanquam creaturas subinde mutari velit; neque potest Deus velle malum, tum quia non est appetibile, tum etiam quia pugnat cum ipsius naturâ & bonitate.

VIII. *Decreti divini, præter liberrimam Dei voluntatem & beneplacitum, causa impulsiva nulla dari potest.*

IX. *Finis decreti divini summus est Dei gloria.*

X. *Decretum Dei in se unicum & simplicissimum est, nec in eo datur prius aut posterius.*

XI. *Rerum verò decretarum respectu sic distinguitur, ut, quo ordine eveniunt, eo ut evenient, Deus decrevisse dicatur.*

Ineptæ sunt hæ quæstiones, An Deus prius hoc aut illud decrevit: An prius de fine, an de mediis statuerit: cum enim Dei decretum in se actio una & simplicissima sit, non datur in illo prius & posterius, sed rerum tantùm decretarum respectu distinguitur. Hâc ratione dicimus, decrevisse Deum, 1. Creare hominem. 2. Donare eum imagine suâ, sed amissibili 3, Permittere lapsum ejus. 4, Ex lapsis alios sibi ipsis relinquere: alios erigere, & ad vitam æternam servare.

CAPUT

CAPUT. IV.

In quo

De Prædestinatione.

DEcretum Dei creaturarum respectu generale est aut speciale.

Generale decretum est, quo in universis creandis & conservandis gloriam potentiæ, sapientiæ, & bonitatis suæ declarare constituit.

Speciale Decretum *Prædestinatio* dictum est, quo in creaturis rationalibus eligendis aut reprobandis gloriam gratiæ, misericordiæ, & justitiæ patefacere decrevit.

A. R. Prædestinatio pars aliqua est divinæ providentiæ, à qua hoc solo distinguitur, quod providentia finem naturalem respiciat, supernaturalem prædestinatio. Quocirca homo cùm providentiæ subjiciatur, etiam prædestinationi subditus sit necesse est.

CANONES.

I. *Etsi Prædestinatio in mente Dei unus & simplicissimus actus sit, pro nostri tamen intellectûs infirmitate, in Prædestinationem ad finem & ad media distinguitur.*

II. *Prædestinatus ad finem, prædestinatus quoque est ad media.*

Prædestinatio est Angelorum aut hominum.

Au-

Angelorum Prædestinatio est, quâ Deus Angelorum alios quidem, in felicitate primæva, in Christo capite, æternum servare; alios verò sibi ipsis relinquere, & stationem suam sponte deserentes, æternùm punire constituit, ad patefaciendam gloriam gratiæ & justitiæ suæ.

Hominum Prædestinatio est, quâ Deus ex humano genere ad imaginem suam creato, sed suâ sponte in peccatum prolapsuro, alios quidem per Christum æternùm servare; alios verò sibi in miseria sua relictos, æternùm damnare constituit, ad patefaciendam gloriam misericordiæ & justitiæ suæ.

Partes igitur hujus Decreti duæ sunt; Electio & Reprobatio.

CANONES.

I. *Prædestinatio est decretum absolutum, & non est.*

II. *Absolutum est respectu causæ efficientis impulsivæ quæ nec in eligendis, est fides, nec in reprobandis, peccatum; sed liberrima Dei voluntas.*

Fides sanè, aut prævisa sanctitas, causa electionis non est: non enim ideò eligitur homo, quia credi turus, sed ideò credit, quia electus est, Act. 13. 48. *Et crediderunt quotquot ordinati erant ad vitam æternam.* Nec electi sumus, quia sancti futuri eramus, sed *ut sancti essemus & inculpati coram eo per charitatem*, Ephes. 1. 4. Nec peccatum prævisum causa est reprobationis, alioquin enim omnes essemus reprobati. Pro liberrimo autem suo beneplacito Deum egisse, manifestum est ex illo, Luk. 12. 32. *Placuit Patri vobis tradere Regnum.* Et Rom. 9. 15. *Misereber cujus misertus fuero*, & vers. 18. *Itaque cujus vult miseretur, quem autem vult, indurat.*

III. Non

III. *Non absolutum autem est, respectu materiæ seu objecti & mediorum, quibus decretum hoc exsequitur.*

IV. *Materia enim seu objectum electionis & Reprobationis non est homo absolutè consideratus, sed suâ sponte in peccatum lapsurus.*

Rationes evidentissimæ sunt: 1. Quia decretum de patefacienda misericordia, & ira seu justitia, peccatum præsupponit, misericordia, enim nulla est, nisi erga miserum, & justitia seu ira justa nulla est, nisi erga peccatorem. 2. Quia reprobari non potest, nisi quod est reprobabile: Atqui homo non qualis à Deo creatus, sed qualiter à Satana deformatus, reprobabilis est.

V. *Peccatum itaque non est reprobationis causa impulsiva: sed materiæ seu objecti conditio necessaria. Licet autem non causa sit reprobationis, est tamen causa reprobabilitatis.*

Differunt enim reprobabilitas & reprobatio, ut potentia & actus. Propter peccatum reprobabiles erant omnes homines, sed non ideò omnes sunt reprobati.

VI. *Præsupponit itaque Prædestinatio Decretum, 1. De homine creando. 2. De donanda homini creando imagine Dei, sed amissibili. 3. De lapsu ejus permittendo.*

VII. *Media verò exsequutionis sic comparata sunt, ut licet pro liberrimo suo beneplacito Deus agat, tamen nec electi gloriandi, nec reprobi conquerendi causam justam habeant. Illis enim indebita gratia confertur; his verò debita pena infertur.*

VIII. *Diversæ quæstiones sunt, 1. Quo jure Deus hominem, creaturam suam, reprobet? 2. Cur non omnes, sed quosdam elegerit, quosdam*

verò

verò reprobarit? 111. *Cur hunc, e.g. Petrum, elegerit; alium verò, e.g. Judam, reprobârit? ad primam respondetur ex causa materiali: quia homo, quâ lapsurus, reprobabilis erat. Ad secundam, ex fine, quia Deus gloriam misericordiæ & justitiæ patefacere voluit. Ad tertiam denique, ex causa impulsiva, quia sic ei placuit.*

Simile. Si quæratur, cur figulus ex eadem massa diversissima vasa efficiat; respondetur ex fine, ad diversos in œconomia usus. Rursus si quæratur, cur ex hac massæ particula urceolum, ex alia matulam efficiat; respondetur ex causa impulsiva, quia sic figulo placuit.

IX. *Christus, aut ut Deus, aut ut Θεάνθρωπος & Mediator noster consideratur: priore modo, cum Patre & Spiritu S. causa efficiens est Electionis nostræ: posteriore modo est Electionis exequendæ medium.*

Dicimur itaque *electi in Christo*, Ephes. 1. 4. nempe per ipsum ad salutem deducendi. Decretum de nobis servandis, est prædestinatio ad finem: decretum verò de Christo, tanquam capite nobis dando, est prædestinatio ad media.

X. *Voces hæ, πρόθεσις, πρόγνωσις, προορισμὸς, etsi quandoque pro iisdem accipiantur; docendi causâ tamen sic distingui possunt, ut πρόθεσις ipsum servandi propositum; πρόγνωσις, gratuitam illam benevolentiam, quâ nos pro suis agnoscit; προορισμὸς, verò prædestinationem ad Christum aliaque salutis media indigitet.*

Roman.

Roman. 8. vers. 28,29. *Novimus autem, iis qui diligunt Deum omnia simul conferre ad bonum, iis videlicet qui* (κατὰ πρόθεσιν) *ex proposito vocati sunt. Nam* (ὃς προέγνω) *quos præscivit* (καὶ προώρισεν) *& prædestinavit, ut conformes fiant imagini Filii sui, &c.*

XI. *Insulsi plavè sunt, qui Electionem sic agnoscunt ut negent Reprobationem.*

Quia reprobationem non minùs quàm electionem, esse docet Scriptura, Esa. 41 9. *Eligo te, non reprobo.* Mal. c. 1. 3. *Iacobum dilexi, Esavum odio habui.* Roman. 9. 18. *Cujus vult, misertur, quem autem vult, indurat,* Rom. 11. 7. *Electi assequuti sunt, reliqui obcalluerunt.* 1 Thes. 5. 9. *Non constituit Deus nos ad iram, sed ad salutem.* 2 Tim. 2. 20. *Vasa ad decus & ad dedecus.* Judæ vers. 4. *Surrepserunt quidam homines, priùs jam olim descripti ad hanc damnationem.*

A. R. Sicut prædestinatio est pars divinæ providentiæ ita est & reprobatio. Quemadmodum enim Deus pro beneplacito suo ordinavit quosdam ad vitam æternam; ita ejusdem providentiæ ductu quosdam beatitudine illâ excidere passus est.

XII. *Vt Christus causa est non Electionis, sed salutis: ita infidelitas causa est non Reprobationis sed damnationis.*

A. R. Quandoquidem in eo dicimur eligi, quatenus vas & sponsor noster factus est, idcircò ipse dicitur medium electionis nostræ, potiùs quàm causa, rei gratuitę. Quatenus Deus est, ipse nos eligit: quatenus Mediator est, in eo eligimur. Quatenus Deus, ita est primarius efficiens electionis humanæ; at quâ Mediator, secundarius tantùm est.

Differt

Differt damnatio à reprobatione ut medium exsequutionis à decreto.

XIII. *Damnatio non est finis reprobationis; sed patefactio gloriæ justitiæ Dei.*

Non igitur rectè dicitur homo creatus ut damnaretur: damnatio enim non finis est, sed medium exsequutionis, cujus homo reprobus se spontaneâ malitiâ rerum facit.

XIV. *Reprobationis, docendi causâ, duo actus statuuntur indebitæ gratiæ negatio, quæ præteritio; & debitæ pœnæ destinatio quæ præ-damnatio dicitur.*

XV. *In exploranda Electione nostra, methodo analyticâ progrediendum à mediis exsequutionis ad decretum, facto initio à Sanctificatione nostra.*

Tali Syllogismo, Quicunque in se sentit donum Sanctificationis, quâ peccato morimur & vivimus justitiæ, is justificatus, vocatus, seu verâ fide donatus & electus est. Atqui per Dei gratiam hoc sentio. Ergò justificatus, vocatus, et electus sum.

XVI. *Diabolicum verò hoc argumentum est, Si electus sum, bonis operibus non opus est; Si reprobus, bona opera frustranea sunt.*

Primum enim non est Christiani hominis dicere, Aut electus sum, aut reprobus: sed potiùs fidem suam tanquam electionis medium explorare, 2 Cor. 13. 5, 6. *Vos ipsos tentate, an sitis in fide, vos ipsos probate. Annon agnoscitis vosmet ipsos, Iesum Christum videlicet in vobis esse, nisi reprobi sitis. At spero fore, ut cognoscatis nos non reprobos esse.* Secundo, hic Syllogismus subordinata disjungit et συζυγα conjungit; subordinata enim minimèque ab electione divellanda sunt bona opera, quæ sunt ejus exsequendæ et nobis certificandæ media. Συζυγα verò sunt reprobum esse et bona opera præstare.

CAPUT.

CAPUT. V.

In quo

De Creatione.

TAntum de internis Dei operibus. Externâ ſunt quæ extra Dei eſſentiam fiunt.

Súntque tum Creatio, tum Creaturarum Gubernatio, ſeu Actualis Dei Providentia.

Creatio eſt, quâ Deus mundum, & quæ in eo ſunt partim ex nihilo, partim ex materia naturaliter inhabili, produxit, ad patefaciendum Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis ſuæ gloriam.

Hiſtoria Creationis exſtat Gen. 1. et 2.

CANONES.

I. *Creare non tantùm eſt ex nihilo aliquid facere, ſed etiam ex materia inhabili ſupra naturæ vires aliquid producere.*

II. *Creationis opus & honor nulli Creaturæ, ne Angelis quidem, ſed ſoli deo tribui debet.*

A. R. Cauſa autem hæc eſt, quia infinitâ potentiâ opus eſt ut res è nihilo producantur: 2. quoniam Entitas eſt effectus univerſaliis, ac proinde oportet eam produci ab univerſali cauſâ, qualis eſt ſolus Deus, qui creavit, id eſt, entitatem ſimpliciter largitus eſt creaturæ.

III. *Creatio*

III. *Creatio non Creatoris, sed creaturæ est à potentia ad actum transitio.*

IV. *Potentia illa non est privativa, sed negativa.*

Quia materia creationis naturâ suâ inhabilis est ad id, quod ex ea creatur. e. g. in pulvere nulla habilitas aut dispositio erat ad corpus humanum exinde tam artificiosè, ac miraculosè exstruendum.

V. *Creatione Mundi Deo nulla perfectio accessit: nec Mundum fecit, ut inde boni quid ad ipsum perficiendum rediret, sed ut bonitatem suam cum creaturis communicaret.*

VI. *Creatio aut est speciei cum omnibus individuis, sicut Angeli, Stellæ, & Elementa simul creata sunt; aut est speciei cum quibusdam individuis, vi propagationis insita donatis.*

VII. *Specialiorem creaturarum cognitionem* Physicis *relinquimus: sufficerit hoc loco easdem secundùm dies creationis singulos perpendere.*

VIII. *Primus dies creationis tribus operibus illustris est.*

1. *Angelorum cum cœlo supremo* (cœlo beatorum dicto) *creatione.*

Nusquam melius refertur Angelorum creatio, quàm ad primum diem; quia cùm terram fundâsset Deus, jam ab ipsis erat celebratus, Iob. 38. 7.

2. *Materiæ Mundi hujus aspectabilis productione, quæ non omni formâ prorsus caruit: sed perfectione, separatione, ac ornatu, quem deinde paulatim accepit, destituta erat.*

3. Lucis

3. *Lucis primigeniæ immissione: quæ quidem lux nec ignis elementaris fuit, nec nubes lucida, nec aliud quodpiam corpus, sed qualitas à Deo (qui est lux inaccessa) aëri immissa, postmodum vero quarto die stellis indita.*

IX. *Secundo die constitutum est expansum, aër seu cœlum aëreum dictum, quod inferiori sui parte inter aquas superiores, hoc est, nubes, & inferiores, mare videlicet, distinguit.*

X. *Tertio die Deus,*

1. *Aquas inferiores terræ adhuc circumfusas separavit, & certis alveis, ut reliqua terra (arida dicta) homini & animalibus commodum exhiberet domicilium, cohibuit.*

2. *Terræ nullo adhuc semine, nullo Sole existente, vim herbescentem producendis plantis & stirpibus indidit.*

XI. *Quarto die sidera & luminaria in cœlo collocata sunt: quorum motus non ab anima, aut intelligentia assistente, ut Philosophi fabulantur, sed à vi divinitùs indita existit; non secus ac terra insita virtute suâ immota stat.*

XII. *Usus stellarum triplex est.* 1. *Distinctio dici & noctis.* 2. *Notatio vicium & tempestatum anni.* 3. *Communicatio virium in rebus inferioribus.*

XIII. *Quinto die aves, pisces, & reptilia creata sunt.*

XIV. *Sexto die animantibus quoque terræ productis, ficque toto hoc mundo, velut amplissimâ domo omnigenâ, supellectile instructâ, hominem quoque fecit.*

Ex

Ex Creaturis cumprimis Theologia Angelos & homines considerat, ut pote quibus Deus imaginem suam contulit.

CANONES.

I. *Etsi totus Mundus divinæ potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis sit speculum; propriè tamen Dei imago solis Angelis & Hominibus tribuitur.*

II. *Imago Dei, partim in naturalibus donis consistit, Angelorum nimirum, & animæ humanæ simplici & invisibili substantiâ, vitâ, intellectu, voluntate & immortalitate; partim in supernaturalibus, beatitudine scilicet primævâ, intellectus, & voluntatis rectitudine, majestateque & dominio in reliquas creaturas.*

Angeli sunt Spiritus intelligentes, à corpore liberi.

CANONES.

I. *Angeli non accidentia, neque qualitates, sed vera ὑ φιςάμενα sunt.*

II. *Angeli corporeæ molis & interitus sunt expertes.*

A.R. Si Angeli corporei essent, imperfectus esset aliquâ ex parte mundus, siquidem creaturæ incorporeæ desiderarentur. 2. fecit Deus hominem atque angelos secundùm imaginem suam, quæ consistit non solùm in intellectu & voluntate, verùm etiam in immaterialitate et immortalitate.

III. *Corpora*

III. *Corpora quibus Angeli apparuerunt, non erant mera φαντάσματα, neque tamen illis hypostaticè unita, sed certi ministerii causâ liberè assumpta.*

IV. *Angeli in loco sunt non circumscriptivè, sed definitivè.*

V. *Angeli in pluribus locis simul esse nequeunt.*

VI. *Angeli reverâ de loco in locum moventur.*

Homo est creatura, corpore ex terra primitùs formato, deinceps verò seminis traduce propagato; animâ verò rationali divinitus indità constans.

Non improbamus hic Philosophorum definitionem, qua hominem, animal rationale esse dicunt. Interim ad institutum nostrum, in schola Theologica, rectiùs hoc pacto hominem describimus.

CANONES.

I. *Triplex miraculosa corporis humani productio in Scripturis traditur. Prima, ex pulvere terræ sine patre & matre. Secunda, ex costa Adami sine matre. Tertia, ex Virginis beatæ sanguine sine patre.*

II. *Anima humana non ex seminis traduce propagatur, sed immediatè à Deo creata corpori inditur.*

De hominis creatione, Moses sic scribit. Genes. 2. v. 7. *Insufflavit Iehova in nares ipsius halitum vitæ, sic factus est homo anima vivens.* Quo loco tria memorantur. Primò, immediata animæ creatio; dicitur enim *halitus Dei.* Secundo, inspiratio ejus: inquit enim *& insufflavit in nares ejus.* Tertio, Unio corporis & animæ

animæ hypostatica; *& factus est anima vivens*, μετωνυμικῶς. i. e. animatum vivens. Cæterùm, hodiéque animam à Deo è nihilo creatam homini inspirari, probant sequentes rationes. I. Quia aliunde esset nostra anima quàm anima Adámi; nostra scilicet ex præexsistente materia, Adami verò è nulla. Nec objici hîc potest, aliam generationis, aliam creationis rationem esse; nihil enim ex materia generatur, nisi quod initio quoque ex materia fuit creatum. II. Quia anima Christi, non est ex traduce seminis; nec enim viri ministerio, sed Spiritûs S. operatione ex sanguine B. Virginis, conceptus est. III. Quia Scriptura de Animarum nostrarum ortu, tanquam de opere creationis, non naturæ, loquitur, Iob: 33. 4. *Spiritus Dei fortis fecit me, & afflatus omnipotentis vitam indidit mihi.* Zach. 12. 1. *Iehovah extendit cœlos, fundat terram, formátque spiritum hominis in eo.* Ubi manifestè creationis operibus accensetur. IV. Quia talis est cujusque genesis, qualis analysis. At hominis hæc est analysis, ut *corpus in pulverem, spiritus verò ad Deum redeat*, Eccl. 12. 9. Cúm igitur in analysi hominis spiritus immediatè ad Deum redeat, immediatè haud dubiè ab ipso factus est. V. Quia Scriptura inter partes corporum & spirituum apertè distinguit, Hebr. 4. 12. VI. Quia anima est ἀμέριστος, ideóque non nisi ex nihilo producitur. VII. Quia si ex traduce generetur, aut ex anima generaretur, aut ex corpore, aut ex corpore & anima simul. At non generatur ex anima; quia ex incorruptibili nihil generatur. Non ex corpore; quia corporea non est. Non ex corpore & anima simul; quia partim corporea, partim incorporea esset. Quod si igitur ex nihilo producitur, à solo Deo producitur, cujus solius est ex nihilo aliquid facere.

III. *Axiomata Physica* simile generat simile, *&* homo hominem, *nihilominùs hoc in negotio vera manent; tum quia homo hominem, persona personam generat;*

generat: tum quia parentum ministerio generatur corpus, velut animæ subjectum, illúdque tum anima à Deo indita unitur, & tandem partu totus homo in lucem editur.

Non obstat, quòd homo quidem causa efficiens sit hominis, sed non secundum omnes partes. Ut enim hominem occidere dicitur, qui tantum corpus interimit; ita homo hominem generare dicitur, etsi animam non generet.

Nec homo aliis viventibus, hac in parte, est ignobilior; cùm potiùs eam ob causam hominis generatio præstantior sit, quòd Dei operatio immediata cum naturæ operatione concurrat.

A. R. Non potuit anima produci ex materiâ præexistente, neque corporeâ, quia ipsa corpus non est; nec incorporeâ, quia spiritus & substantiæ incorporeæ transmutationis expertes sunt.

IV. *Anima humana immortalis est, non ἁπλῶς, & quòd à Deo in nihilum redigi nequeat: sed Dei ordinatione, & quòd à causis secundis destrui non possit.*

V. *Facultates animæ ab anima realiter differunt, ut qualitas seu proprium accidens à subjecto.*

Ratio ex eventu petitur; quia labefactatis facultatibus animæ, integra manet ejus essentia.

VI. *Facultates ejus aut merè organicæ sunt, ut facultas vegetativa & sensitiva; aut ex parte tantùm & ad tempus tales sunt, ut intellectus*

tellectus & voluntas. Illæ corrupto corpore se non exserunt: hæ & absque corporis ministerio sese exercere possunt, & corpore destructo sese exserunt.

VII. *Libertas a coactione, essentialis voluntatis proprietas existit.*

Secus enim voluntas esset noluntas.

CAPUT. VI.

In quo

De actuali Dei Providentia.

ACtualis Dei Providentia est, quâ Deus non solùm creaturas suas conservat, sed pro immensa sapientia, bonitate, potentia, justitia & misericordia, omnia gubernat.

CANONES.

I. *Providentiam hanc negare, est Deum ipsum negare.*

A. R. Nec enim posset Deus esse, nisi omnia ad suos fines disponeret; atqui hoc est providere. 2. Neque itidem Deus esset, nisi bonus foret: bonitas autem tam in regendo quàm in creando mundo relucet. 3. Non esset Deus, nisi foret etiam prudens: verum ea est summa prudentia rebus prospicere atque providere.

II. *Providentia actualis ab æterna differt, ut executio à decreto.*

III. *Ut*

III. *Vt in æterna Providentia voluntas Beneplaciti, ità in hâc voluntas Signi cumprimis elucet.*

IV. *Providentia non tantum in scientia, sed & in gubernatione omnium, maximorum & minimorum, consistit.*

V. *Providentia dei causas secundas non tollit, sed ponit.*

VI. *Providentiæ Dei respectu, quæ causarum secundarum ratione contingentia sunt, necessaria sunt. Necessitate tamen immutabilitatis, non coactionis.*

A. R. Non esset utique mundus perfectus, si omnia forent necessaria, nulla contingentia: voluit igitur Deus contingentia contingenter evenire, necessaria necessariò: quamobrem quæcunque necessario evenuint, id fit disponente Deo.

VII. *Providentia Dei longè abest à Fato Stoicorum.*

Stoicum enim Fatum causarum secundarum connexioni Deum alligat: Christianum verò Fatum, causas secundas Dei liberrimæ voluntati subordinat; quippe quibus non necessariò sed liberrimè, non ex indigentia sed ex indulgentia utitur.

VIII. *Providentia Dei bona & Mala regunt.*

IX. *Bona reguntur efficaci actione, ad quam pertinent virtutis divinæ præcursus, concursus, & succursus.*

X. *Mala reguntur actuosâ permissione, adeóque permittendo, determinando & dirigendo.*

XI. *Providentia Dei etiam circa inordinata & peccata manet ordinata & incontaminata.*

Duo enim in malis actionibus spectanda sunt: actio ipsa & ἀνομία actionis; actio ipsa, tanquam motus naturalis, fit efficaci Dei operatione: ἀνομία vero seu malitia, fit actuosa Dei permissione. Regitur enim peccatum 1. Permittendo. 2. Determinando & intra limites continendo. 3. Ad bonum eventum dirigendo. Jam verò Deus nullo istorum modorum peccati autor dici potest. Non efficiendo τὸ materiale, seu actionem naturalem: ut enim in equo alia causa est motus, alia claudicationis; ità aliud est, esse causam actionis, aliud verò, esse causam adhærentis malitiæ. Non permittendo pravam actionem; quia peccatum impedire nulla lege cogitur. Non determinando; ut enim, qui incendium restinguit, ne latiùs grassetur, non causa est incendii: ità qui terminos figit peccato, non causa est peccati. Non dirigendo ad bonum finem; ut enim summum artificium est ex venenatis animalibus salubrem parare medicinam; ita Deo gloriosum est ex malis bonum quid elicere. Patet igitur, quam frivolum sit illorum commentum, qui ut Deum à peccati labe vindicent, ad nudam & otiosam tantum permissionem confugiunt.

XIII. *Etsi Scriptura eandem actionem seu idem opus sæpè Deo, Diabolo, & impiis adscribat; Deo tamen peccatum imputari minimè potest.*

Neque in hoc casu ad nudam permissionem recurrendum, sed ex scopo & fine de his actionibus judicandum. Aliud enim in una eademque actione Dei, aliud Satanæ, aliud Impiorum consilium est. Iobi afflictio Deo ascribitur: *Deus dedit*, inquit Iob. *Deus abstulit*: ascribitur quoque Satanæ & Sabæis ac Chaldæis, verum ex fine de singulis judicandum. Satanæ propositum erat Iobum ad desperationem redigere: Sabæis & Chaldeis decretum erat furto ac spoliis sancti viri ditari; Deus verò constituit servi sui fidem probare & patefacere. Sic in crucifixione Christi, Pilato propositum fuit in gratia Judæorum & Cæsaris manere; Judæis propositum erat

erat odio & vindictæ cupiditati satisfacere. Dei verò finis erat humanum genus redimere. Hi nihil fecisse dicuntur: quàm quod Dei *manus & consilium decrevit.*

XIV. *Induratio impiorum Deo ut justissimum judicium adscribitur, sic, ut neque culpa Deo imputari, nec impii excusari possint.*

Impii inexcusabiles hac in parte sunt, quia Deus eos solum indurat, qui se ipsos indurant, nec ex mollibus duros, sed ex induratis justo judicio induratiores facit. Indurant autem seipsos, abusu eorum, quibus maximè emolliri debebant, nempe. I. Longanimitatis Dei. Rom. 2. v. 4, 5. *An divitias benignitatis ejus & tolerantiæ ac tarditatis ad iram contemnis ignorans te benignitate Dei ad resipiscentiam deduci? Sed pro duritia tua & corde, quod resipiscere nescit, thesaurizas tibi ipsi iram in diē ira, &c.* II. Verbi Dei, 2 Cor. 2. 15. *Nam Christi bona fragrantia sumus Deo in iis, qui servantur, & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam.* III. Castigationis seu ferulæ Dei, quâ incudis instar duriores redduntur. Ier. 5. 3. *Percutis eos, sed non dolent; consumis eos, sed renuunt accipere eruditionem; reddunt faciem suā obfirmatiorem petra, renuunt converti.* Hâc ratione, quia seipsos indurant, justissimè indurantur à Deo, qui toties de Pharaone dixit, *Tenebo cor ejus, obfirmabo, indurabo cor ejus.* Non autem permittendo solum indurat, sed. I. Frænum, quo cupiditates impiorum inhibuit, laxando, Rom. 1. 24. *Tradidit eos cupiditatibus cordium ipsorum* & v. 28. *Tradidit eos Deus in mentem omnis judicii expertem.* II. Satanæ, tanquā carnifici ipsos tradendo. 1. Reg. 22. v. 21, 22. Tandē *prodiit quidam Spiritus, qui consistens coram Iehova dixit, Ego pelliciam eum* (Ahabum puta) *Dicente verò Iehovah, quo pacto? dixit, Egressus ero spiritus mendacii in ore omnium prophetarum ejus. Tum dixit, pellicies, etiámque prevalebis, exi & fac ità* Ut igitur Magistratus facinorosū carnifici plectendum tradens, nec facinoris nec interitûs facinorosi causa est: ità Deo impios Satanæ tradendi, nec indurationis nec exitii illorum culpa imputanda est.

CAPUT. VII.

In quo

De Gubernatione Angelorum.

PRovidentia Dei actualis cumprimis elucet in Angelorum, & Hominum gubernatione. Gubernatio Angelorum bonorum est, aut malorum. Bonorum Angelorum gubernatio est; quâ Deus illos in primæva rectitudine & felicitate, in filio suo tanquam Capite ipsorum, ad laudem gloriosæ suæ gratiæ confirmavit.

CANONES.

I. *Boni Angeli suâ naturâ æquè labiles erant ac mali Angeli.*

II. *Confirmationem igitur sui in bono, non sibi, sed gratiæ Dei Patris, & Filio tanquam Capiti suo, acceptum ferre debent.*

III. *Filius Dei Caput Angelorum est, non Redemtionis sed Creationis, & gratiosæ cum Deo unionis jure.*

Nec enim Dei imagine donari, nec in filios adoptari poterant, nisi in Filio Dei, *Qui est imago Dei invisibilis, & primo genitus omnis creaturæ*, Col. 1 15.

IV. *Angelus ille, qui Patribus in forma humana, in Incarnationis præludium, tam frequenter apparuit, non erat creatus angelus, sed ipse Dei Filius.*

Gen. 18. 13. *Dixit Jehova Abrahamo, quid ità risit Sarah?* Gen. 32. 28. *Ut Principem te* (inquit Angelus ad Iacobum) *geris apud Angelos:* quod ità explicatur Hoseæ. 12. 4. *Principem se gessit cum angelo.* Iosuæ, 6. v. 2. *Dixit* (vir ille quem vidit Iosua,) *ego sum princeps militiæ Iehovæ*, & v. 5. *Deinde dixit Iehova Iehoschuæ*, vide Zach. cap. 1. 2, & 3.

V. Etsi

v. *Etsi nulla inter Angelos sit ἀταξία, attamen is ordo ipsis intercedat, ut Principem seu Caput aliud quàm filium Dei habeant ex Scripturis non liquet. Rectiùs sanè per Michaelem Archangelum Filius Dei intelligitur.*

Opponitur enim Diabolo tanquam capiti malorum Angelorum. Apoc. II. 12. 7. *Michael & Angeli ejus præliati sunt cum Dracone, & v. 10. Nunc facta est salus & virtus & Regnum Dei nostri & potestas Christi ejus.*

VI. *Boni Angeli voluntatis divinæ promtissimi sunt exsequutores: in primis in Deo laudando & piis custodiendis.*

VII. *An verò certi Angeli certis hominibus aut provinciis præsint, anxiè non inquirendum.*

Nunc enim unius, nunc plurium ministerio Deum uti ex Scripturis manifestissimum est.

Malorum Angelorum gubernatio est, quâ Deus illos à primæva integritate deficientes, & hostes Regni Christi factos, cœlo ejectos, in infernale deturbavit exitium.

CANONES.

I. *Mali Angeli tales sunt non ex creatione sed ex propria defectione.*

II. *Præcipuum illorum peccatum an fuerit superbia, Scriptura non exprimit: certum tamen est non sine superbia admissum fuisse.*

Superbia enim, cum quolibet peccato, ἐν ἀφορ. ἀφέσεως commisso, est conjuncta.

III. *Tutiùs cum Juda Apostolo v. 6. defectionem a prima origine, & desertionem domicilii proprii, illud appellamus.*

IV. *Mali Angeli principem habent quem Scriptura Diabolum κατ' ἐξοχὴν, Veterem item Serpentem, Satanam & Draconem nominat.*

Vide Apoc. 12. 2.

V. *De tempore defectionis, & numero malorum Angelorum, quum Scriptura nihil habeat, nobis quoque tacendum.*

VI. *Pœna ipsorum partim in memoria amissæ ac irrecuperabilis felicitatis, partim in sempiterno malorum sensu & cruciatu consistit.*

VII. *Mansit in malis Angelis simplex, invisibilis, & immortalis substantia.*

VIII. *Mansit quoque in ipsis non exigua scientia, & in scrutandis etiam futuris sagacitas. Cujus adminicula sunt, 1. Naturalis cognitio, 2. Cognitio ἐμπειρικὴ ex diuturna experientia. 3. Astrologia. 4. Scripturæ notitia, imprimis Prophetarum. 5. Revelatio extraordinaria, quoties Deus ipsorum, tanquam carnificum, ministerio usurus est.*

A. R. Malis angelis duplex inest Scientia; naturalis altera, quam non amiserunt, quandoquidem simplex ipsorum natura diminutionem non sustinet: unde fit ut quam iis scientiam peperit propria ipsorum natura, eam nec amiserint, nec imminutam nacti sint, magis quàm cæteras facultates naturales. Hinc est quòd noverint quemadmodum produci oportuerit ranas in Ægypto, & reliqua confieri miracula, quæ exhibuit Moses; pediculos autem non potuerunt progenerare, non quod nesciverint quo proseminio oriren-

rirentur,

rirentur ista animalcula (nec enim majorem difficultatem habet pediculorum generandorum, quàm ranarum cognitio) sed quia Deus illos numine suo inhibuit. Altera ipsorum scientia est acquisita, seu potiùs ex gratiâ collata, estque ea aut speculativa aut practica; priorem illam non quidem totaliter amiserunt, sed labefactatam atque multis partibus imminutam retinent: At verò scientiam praxeos, cum quo conjunctus est & connexus tum amor Dei, tum mali aversatio, hanc ex toto amiserunt: talis enim cognitio cum obstinato ad malitiam animo non consistit. Verum enim verò sicut iis cognitio de Deo naturalis obtigit, ita & amor erga eundem quidam ingenitus est, diligunt ergò illum quatenus ens est, non autem sub ratione morali, quatenus est fons atque origo omnis fælicitatis, cujus se exortes atque alienos fore in æternum sciunt.

VI. *Ut autem hæc ipsorum scientia à charitate aliena est, ita ob omni quoque solatio vacua exsistit, nihilq; quàm terrorem ipsis incutit.*

Matth. 8. 29. *Quid nobis tecum, Jesu Fili Dei? veniisti huc ut torqueres nos ante tempus?* Luc. 2. 19. *Tu credis Deum unum esse, recte facis: & dæmonia credunt & horrescunt.*

X. *Manst quoque in ipsis magna potentia, quam exserunt in corporibus vastissimis loco movendis, in tempestatibus ciendis in ædibus & montibus convellendis, in aere & corporibus venenato ha-*

litu inficiendis, in hominibus occupandis & obsidendis, in sensibus internis & externis, organi aut objecti variatione & mutatione fascinandis.

XI. *In corpora tamen cœlestia seu stellas nihil juris ac potestatis obtinent.*

Quia tantum ipsis concessa est ἐξουσία τοῦ ἀέρος. Eph. 2. 2.

XII. *Omnis quinetiam ipsorum inferiora potestas, Dei Providentiâ sic limitata est, ut sine ejus permissu ne minimum quid possint.*

Matth. 8. 31. *Dæmones verò precabantur eum, dicentes, Si ejicis nos, permitte nobis abire in gregem porcorum illorum.*

XIII. *Mali Angeli mira faciunt, sed miracula facere nequeunt.*

Miraculosa enim sunt opera omnem creaturarum potentiam superantia.

CAPUT.

CAPUT. VIII.

In quo
De gubernatione hominis in ſtatu innocentiæ.

TAlis eſt Angelorum gubernatio. Hominis Gubernatio, tum in ſtatu innocentiæ & miſeriæ, tum in ſtatu gratiæ & gloriæ eluceſcit.

Gubernatio hominis in ſtatu innocentiæ eſt, quâ Deus cum homine fœdus operum iniit, eique ſub obedientiæ conditione felicitatis perennitatem promiſit, inobedienti verò mortem minatus eſt.

CANONES.

I. *Duplex eſt fœdus Dei cum homine pactum, fœdus operum, & fœdus gratiæ, illud ante lapſum, hoc poſt lapſum.*

II. *Fœdus operum duplici Sacramento confirmatum fuit, Arbore Vitæ, & Arbore ſcientiæ boni & mali: utraque in medio Paradiſi collocata.*

III. *Vſus illarum duplex erat.* 1. *Vt illius uſu, hujus verò abſtinentiâ hominis probaretur obedientia.* 2. *Vt illa felicitatis perennitatem obſignaret obedientibus, hæc verò inobedientibus ſummi boni amiſſionem & ſummi mali immiſſionem ſignificaret.*

IV. *Arbor igitur Vitæ non ab inſita vivificandi facultate, ſed è ſacramentali ſignificatione ſic dicta eſt.*

v. *Similiter arbor scientiæ boni & mali, nomen hoc habet à significatione summi mali & boni, ac eventu.*

Re ipsa enim homo expertus est quantum bonum amiserit, & quantum malum sibi accersiverit.

vi. *Felicitas hominis adhuc integri, imprimis consistebat in Dei imagine.*

vii. *Imaginis divinæ subjectum primarium est anima; secundarium, corpus, quatenus animæ operationes se in eo exserunt.*

viii. *Imaginis Dei dona partim naturalia partim supernaturalia erant.*

ix. *Naturalia erant, animæ simplex ac invisibilis substantia, eiúsque facultates, intellectus nimirum & voluntas.*

x. *Supernaturalia erant, intellectûs claritas, voluntatis libertas & rectitudo appetituum seu affectuum conformitas, totius hominis immortalitas, & dominium in inferiores creaturas.*

xi. *Intellectûs in primo homine ea fuit claritas, ut naturalia omnia, quæ in primis principiis per se notis potestate existunt, noverit.*

Cujus rei specimen illustre edidit Adamus, cùm cuilibet animantium nomen, naturis ipsorum congruens, indidisset, Gen. 2. 20.

xii. *Voluntas libera erat, ad bonum & malum indifferens, ut homo in integritate perseverare potuisset, si voluisset: accepit posse, si vellet, non autem velle, ut posset.*

Liberum

Liberum arbitrium pro quadruplici hominis ſtatu quadruplex eſt. In primo homine liberum erat ad bonum & malum. In homine lapſo liberum tantum eſt ad malum. In homine regenito ſeu ſtatu gratiæ liberum eſt à malo & ad bonum per Dei gratiam, ſed imperfectè. In ſtatu gloriæ vero liberum erit à malo & ad bonum perfectè. In ſtatu integritatis potuiſſet non peccare. In ſtatu miſeriæ nihil poteſt quàm peccare. In ſtatu gratiæ non poteſt peccatum in homine regnare; in ſtatu gloriæ planè non poterit peccare.

A. R. Quod hic dicitur, hominem in ſtatu miſeriæ nihil poſſe quàm peccare, non eſt illud ita intelligendum quaſi coactus peccaret; eſt enim immunis à compulſione omni, tum in ſtatu peccati, tum in ſtatu gratiæ; non tamen eſt immunis à neceſſitate: poſſunt enim in eâdem voluntate reperiri libertas cum neceſſitate conjuncta: quo modo in cœlis nihil appetemus quàm bonum, idque neceſſariò, ſed tamen liberè, quæ Angelorum conditio eſt: quin & in hâc vitâ neceſſitatur voluntas à judicio practico eam determinante: quî minus igitur poſſit gratia nos inter converſionem neceſſitare, quàm ratio determinare? At verò homo voluntario ſuo lapſu accerſivit ſibi quandam peccandi neceſſitatem: ita ut cum divo Paulo, faciamus malum quod nolimus, propterea quòd ex abuſu voluntatis noſtræ liberæ, nos ipſos omnémque prorſus voluntatis libertatem perdiderimus.

XIII. *Inferiores appetitus omnésque affectus cum ratione congruebant.*

XIV. *Homo primus etiam corporis respectu immortalis erat, non ἁπλῶς tamen, quasi corpus ex elementis compositum in principia sua resolvi non potuisset, sed ex fœderis divini pacto, non quòd non potuerit mori, sed quòd potuerit non mori.*

XV. *Imperium hominis in creaturas inferiores non solùm κτήσει integrum, sed & χρήσει mite fuit & placidum.*

XVI. *Labor ille, quo paradisum custodire & colere debuit Adamus, non cum molestia conjunctus, sed jucundissimus erat.*

CAPUT. IX.

In quo

De lapsu primorum Parentum tanquam miseriæ humanæ principio.

TAntum de Gubernatione hominis in statu innocentiæ. Gubernatio hominis in statu miseriæ est, quâ Deus hominem in peccatum sponte prolapsum variis miseriis, justo judicio subjecit.

Consistit igitur hic status in peccato, & miseriis peccatum consequentibus.

Peccatum est ἀνομία, seu quicquid legi divinæ repugnat.

1 Ioh.

1 Ioh. 3.4. *Legis* nomine hoc loco tum præcepta & interdicta homini primitus proposita, tum lex naturæ cordi ejus insculpta intelligitur. De Legis autem post lapsum instauratione ac amplificatione intrà agetur suo loco.

CANONES.

I. Peccati *nomine aut concretè subjectum ἀνομίας cum ipsa ἀνομία, aut abstractè sola ἀνομία indigitatur.*

II. *Nimis stricta est definitio peccati, per cogitatum, dictum aut factum.*

Taliter à Pontificiis definitur: verùm, ut infrà patebit, definitio hæc in peccatum originale non competit.

III. *Deus peccati autor citra blasphemiam statui nequit.*

IV. *Nihil obstat, quin unum Idémque, diverso tamen respectu, sit peccatum & pœna peccati.*

Peccatum primum est, aut ex primo ortum.

Primum peccatum est, inobedientia primorum parentum, quâ Dei interdictum de arbore scientiæ boni & mali sunt transgressi.

CANONES.

I. *Causa transgressionis Adami & Evæ nec Deus est, nec decretum Dei nec denegatio specialis gratiæ, nec lapsûs permissio nec motûs naturalis excitatio, nec denique lapsus illius gubernatio.*

Non

Non Deus: quia arboris illius fructu homini severissimè interdixit. *Non decretum ejus*; quia illud tantùm immutabilitatis, non coactionis necessitatem infert, nec ad peccandum quemquam impellit. *Non denegatio specialioris gratiæ*, quâ homo integer maneret; quia nè quidem eam gratiam homini debuit, quàm ipsi dedit; accepit enim posse, si vellet, etsi non acceperit velle ut posset. *Non motûs naturalis excitatio*: quia motus per se non est peccatum. *Non lapsus illius gubernatio*: quia malum in bonum convertere, est boni potiùs quàm mali autorem esse.

II. *Peccatum primum Deus noluit & voluit.*

Noluit, quatenus peccatum est: *voluit* & decrevit illud, quatenus est medium patefaciendæ gloriæ misericordiæ & justitiæ.

III. *Causa ejus προκαταρκτικὴ fuit, antiqui illius serpentis, Satanæ instinctus & persuasio.*

A. R. Causa directa peccati erat voluntas hominis ipsius; causa indirecta erat Satanas, qui persuasione suâ illum huc impulit. Nihil enim extrinsecum potest necessariò voluntatem movere præter ultimum finem, potest quidem Satanas in phantasian influere varias rerum species offerendo; atque in appetitum agere, diversas passiones ex agitato corde atque spiritibus inferendo; sed in intellectum & voluntatem nihil potest.

IV. *Causa προηγουμένη erat, voluntas hominis, per se quidem ad bonum & malum indifferens, sed Satanæ persuasione ad malum inflexa.*

V. *Certi sunt lapsûs istius gradus, quibus non*

non simul, sed paulatim homo à Deo defecit; nempe. 1. *Incogitantia & πολυπραγμοσύνη Evæ, cum serpente, absente marito, conferentis.* 2. *Incredulitas, quâ paulatim Satanæ, Dei in hominem benevolentiam in dubium vocantis, mendaciis assentiri ac Deo Diffidere cœpit.* 3. *Fructus prohibiti & gloriæ divinæ affectatio.* 4. *Factum ipsum.* 5. *Seductio Adami & ἀταξία affectus in ipso quoque excitatus.*

VI. *Partes hujus lapsus si spectes, rectè totius legis naturalis transgressionem dixeris.*

Peccavit enim homo incredulitate, diffidentiâ, ἀχαριστία, idololatria, quâ á Deo defecit, & ex se ipso idolum facere fategit, Verbi Dei contemtu, rebellione, homicidio, intemperantiâ, furto, reiq; alienæ inconsulto Domino contrectatione, falsi testimonii assensu, ambitiosæ denique altioris dignitatis, imo gloriæ soli Deo competentis, affectatione. Unde nimis strictè peccatum hoc per intemperantiam, ambitionem aut superbiam definitur.

VII. *Rectè igitur cum B. Apostolo Peccatum hoc παράβασιν, παράπτωμα, & παρακοὴν, h. e.* transgressionem, offensam, *&* inobedientiam *nominamus.*

Rom. 5. vers. 14. 18, 19.

VIII. *Adamus, hoc in negotio, non ut privata, sed ut publica persona, adeóque ut totius humani generis Parens, Caput & Radix considerandus est.*

IX. *Quicquid igitur accepit & perdidit, sibi & omnibus posteris accepit & perdidit.*

Ut

Ut caput sibi & membris rationem tenet: ut nobilis sibi & posteris fœdum amittit aut servat: ità adamus felicitatem illam sibi & posteris perdidit. Ut ex venenata radice nihil salubre nascitur, ità quotquot naturaliter ex Adamo descendunt, peccati illius primi rei nascuntur.

x. *Peccatum igitur illud primum non personale tantùm est, sed naturale quoque, quippe quo tota natura depravata est, cujus etiam posteri Adami rei tenentur, quotquot nimirum naturaliter ex Adamo descendunt.*

Excipitur igitur ab hoc reatu Christus, ex Adamo quidem natus, sed non per Adamum: non naturali generatione, sed per virtutem Spiritûs sancti.

xi. *Ut igitur persona naturam infecit: ità deinceps natura personas.*

xii. *Primos parentes à Deo in gratiam receptos esse, piè credimus.*

CAPUT. X.

In quo

De Peccato Originali & Libero Arbitrio.

PEccatum ex primo ortum Originale est aut Actuale.

Originale peccatum est nativa illa vitiositas omni & toti homini naturaliter ex Adamo descendenti, propter reatum primi peccati immissa, quâ libertate ad bonum penitus amissâ, tantùm ad malum proclivis exsistit.

CANONES.

i. *Peccatum hoc in Scripturis nominatur* peccatum κατ' ἐξοχὴν & corpus peccati (a) peccatum

catum peccans (*b*) peccatum inhabitans (*c*) lex membrorûm (*d*) vetus homo (*e*) & caro. (*f*)

(*a*) Rom. 6. 6. (*b*) Rom. 7. 13 (*c*) Rom. 7. 17. (*d*) Ro. 7. 23. (*e*) Rom. 6. 6. (*f*) Ioan. 3. 6. Gal. 5. 17.

11. *Appellatur etiam* concupiscentia.

Rom. 7. v. 7. *Concupiscentiam non nôssem, nisi* Lex dixisset, *Non concupisces.*

111. *Fatô igitur illam* Pontificii *peccatorum numero eximunt, & operibus* Dei *accensent.*

Concupiscentiæ enim nomine aut naturalis concupiscendi facultas intelligitur, quæ homini etiam ante lapsum inerat: aut vitiositas facultati illi adhærens, quatenus ejactu primo inest, quâve tantùm ad malum inclinat.

IV. *Peccati originalis causa proxima est reatus peccati primi, cujus respectu est justissima Dei pœna; pars nimirum mortis, quam Deus homini minatus est.*

V. *Etsi anima homini immediate à Deo inspiretur, unita tamen cum corpore, protinus rea est primi peccati, toti homini imputati, ideóque & illa labe originali inficitur.*

VI. *Nec ideò peccatum originale peccatum esse definit, quòd nec voluntarie, nec scienter à nobis sit commissum; sufficit enim adesse naturæ nostræ τὸ ἄνομον ut maxime abfit τὸ ἑκούσιον.*

VII. *A peccato hoc originali (excepto solo Christo) nemo hominum immunis est, nè quidem Beata Virgo Maria: nec solùm illud infantibus, sed etiam homini vix dum concepto & nondum nato inest: & ut rapacitas in catulis*

luporum

iuporum se magis magísque exserit.

Psal. 51. 7. *Enim in iniquitate conceptus sum, & in peccato fovit me mater mea.*

2 Cor. 5. 21. *Fecit, ut qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum esset.*

VIII. *Peccatum originale non tantùm in ἀδυναμία & ineptitudine ad bonum, sed & in proclivitate ad malum consistit: nec boni tantùm primitus accepti est amissio, sed contrarii mali immissio.*

IX. *Peccato originali, naturalia bona sunt corrupta, supernaturalia verò penitus sunt sublata.*

X. *Mansit igitur intellectus sed obtenebratus: mansit voluntas, sed depravata: mansit appetitus inferior, sed totaliter vitiatus.*

XI. *Hinc etiam in actionibus naturalibus & civilibus nihil boni agere potest homo irregenitus, sine speciali Dei gratia.*

XII. *Sine hac speciali Dei gratia nihil præclari à Gentilibus actum fuit.*

XIII. *Quicquid tamen illud fuit, multiplici cum vanitate conjunctum fuit, ut etiam præcipuæ illorum virtutes coram Deo splendida sint peccata.*

XIV. *Bona enim opera non statim sunt, quæ in se bona sunt, sed quæ bene quoque fiunt.*

Bonum opus univocè dicitur aut æquivocè. Illud bonum est simpliciter & omnium circumstantiarum respectu: istud in se quidem bonum est, sed aut objecti, aut subjecti, aut modi, aut finis respectu vitiosum est. Sane si finem actionis Gentilium spectemus, patebit, propriæ magis quàm divinæ gloriæ ipsos rationem habuisse in actionibus suis.

XV. *Etsi reproborum quoque affectus à Deo velut*

velut fæno inhibeantur, non tamen sanantur.

XVI. *Supernaturalia verò dona penitus amissa sunt; intellectus nimirum claritas, voluntatis rectitudo, et appetitus cum ratione conformitas.*

A.R. Quod hic dicitur videlicet qd *supernaturalia dona penitus amissa fuerint*, id ita est intelligendum, ut fidem penitus amissam censeamus; est autem fides vel potissimum ex supernaturalibus donis: Fidem verò in primævis parentibus penitus amissam fuisse perspicuum est; propterea quod serpenti assenserint, quæ res accidere non potuisset si Deum veracem aut omnipotentem credidissent; abdiderunt se se in secreta nemorum, quasi Dei conspectum latere possent, non ergo eundem existimârunt Omnipræsentem: quinetiam ipsum Deum visus est Adamus in criminis societatem pertrahere, atque accusare quod mulierem dedisset quæ illum ad nequitiam perpulerat; cui illud consequens est ut de divinâ bonitate atque justi â secus existimaverit, quàm par erat. Verùm enim verò ut ut fidem omnem amiserit homo, non tamen cæteris donis spiritualibus planè excidit: nec enim amisit omnem de Deo cognitionem, uti nec posteritos ipsius, quin adhuc supersint veteris scientiæ ζώπυρα atque vestigia, obliterata quidem illa, sed tamen ita salva, ut possint in rerum creatarum contemplatione reperiri *Rom.* 1. 20. Sed nec timorem Dei penitus objecit; id enim apertè præ se fert Adamus, *Gen.* 3. dum fatetur se metuisse cùm audiret *vocem Dei*; Erat autem metus ille, quantumvis servilis atque illiberalis supernaturale donum, sed inferioris ordinis.

XVII.

XVII. *Hinc in spiritualibus aut cognoscendis aut agendis, homo, nec quoad actum, non quoad potentiam, nullum principium in se habet.*

A. R. Cum dicitur nullam esse spiritualem cognitionem in nobis, non illud accipiendum *subjectivè*, sed *causaliter*: Inest enim nobis cognitio, quandoquidem anima ipsa est subjectum cognitionis; sed non est illa à nobis orta atque profecta cognitio, neque a nobis ipsis quicquam possumus spiritualiter: neque enim ii sumus, qui *per nos* valeamus in bonam ullam cogitationem venire. Rursus, quod ait nullum hujusce cognitionis principium nobis inesse; horum verborum iste sensus est, primarium atque potissimum principium intra nos non esse; cum tamen secundarium atque subordinatum ejus principium sit animus noster. Denique, cum illud principium a nobis tum quoad potentiam, tum quoad actum sejungit; non illud facit quantum ad *potentiam passivam*, inest enim nobis potentia passiva, seu capacitas ad recipiendam cognitionem infusam, aliàs lapides sumus: potentiam igitur actuvam omnem denegat, nec enim agimus, sed agimur inter conversionem; ita ut nulla nobis facultas aut potentia sit, unde mentes nostras ipsi illuminare, aut depravatas corrigere possimus.

XVIII. *Ædificium igitur in cineribus quærunt, qui homini irregenito liberum arbitrium seu reliquas vires tribuunt, quibus aut bene agat, aut ad conversionem & Dei gratiam acceptandam se præparet.*

Qui

Qui error est Pelagianorum & Semipelagianorum.

XIX. *Manſit quidem arbitrium hominis liberum à coactione, ſed non ad bonum & malum.*

XX. *Imò liberum factum eſt tantùm ad malum, adeóque Servum potius quam Liberum dici meretur.*

Intellectum quod attinet, *animalis homo non eſt capax eorum, quæ ſunt Spiritûs Dei*, 1 Cor. 2. 14 Voluntatem ſi ſpectes, *figmentum cordis hominis malum eſt à pueritia ejus.* Gen. 8. 21. Totum denique hominem, vitâ ſpirituali amiſſâ, *in peccato mortuum jacere*, Scriptura clamat, Eph. 2. 1. Coloſſ. 2. 13.

XXI. *Et ſi peccatum hoc remiſſum ſit piis parentibus, nihilominùs tamen per generationem in poſteros transfunditur.*

Ratio; quia remiſſione inhabitans vitium non penitus tollitur, etſi reatus auferatur. Et ut fidei donum non eſt ex generatione, ſed ex regeneratione: ità homo non quâ regeneratus, ſed quâ homo, generat hominem. Sicut ſemina ab ariſtis, paleis & ſiliquis purgata, cum iiſdem reſurgunt.

CAPUT

CAPUT. XI.

In quo

De Actuali Peccato.

HÆc de peccato Originali. Actuale peccatum est, quo in cogitationibus, cupiditatibus, dictis, aut factis lex Dei violatur.

CANONES.

I. *Ex circumstantiarum varietate, varium quoq; exsistit peccatum.*

II. *Ex causa efficiente, est personæ publicæ aut privatæ, majora aut minori ὑπεροχῇ donatæ.*

III. *Ex materia, est cogitatum, concupitum, dictum aut factum.*

IV. *Ex forma, est omissionis aut commissionis.*

V. *Ex fine, est inconsideratum aut affectatum seu contra conscientiam, idque magis ex malitia quàm ex infirmitate, aut contrà magis ex infirmitate quàm ex malitia.*

VI. *Ex subjecto, est animæ imprimis, aut corporis, aut utriusque.*

VII. *Ex objecto, commissum est in Deum aut in proximum.*

VIII. *In deum commissum est, aut ex fracta aut ex plena voluntate: atque hoc posterius peccatum Scriptura* peccatum in Spiritum sanctum & ad mortem *vocat.*

Matth. 12. 32. Ioan. 5. 16.

IX. *Est autem peccatum in Spiritum sanctum seu*

ſ ad mortem, tum quis Spiritûs ſancti teſtimonio intra conſcientiam ſuam convictus eidem tamen hoſtiliter, petulanter, & elatâ quaſi manu, adverſatur.

X. *Peccatum in homines lædit ſuperiores, inferiores, aut æquales, pluribus aut paucioribus vinculis ſanguinis, affinitatis, &c. unitos.*

XI. *Ex adjunctis, peccatum tale eſt per ſe aut per accidens.*

Qualia ſunt ſcandala in rebus alioquin indifferentibus. Vide Roman. 14.

XII. *Nullum peccatum ſuâ naturâ veniale eſt, ſeu tam leve ut damnationem non mereatur.*

Damnatur hoc axiomate error Pontificiorum, ſtatuentium quædam peccata ex ſe venialia eſſe. Ratio patet ex objecto & effectu; nullum enim peccatum eſt, quod non cum offenſa divinæ ac infinitæ majeſtatis Dei ſit conjunctum.

XIII. *Eventus tamen, meriti Chriſti, & gratiæ Dei reſpectu omnia ſunt remiſſibilia, exceptâ infidelitate finali, & peccato in Spiritum ſanctum.*

Non quod Gratiâ & merito Chriſti ſint majora, ſed quod gratiæ & Chriſti merito repugnent, ac conjuncta ſint cum utriuſque contemptu.

XIV. *De reliquorum peccatorum gradibus ex circumſtantiis judicandum: quarum conſideratione exaggerantur aut extenuantur.*

Gravius eſt e. g. peccatum admiſſum à digniore, quàm ab inferiore. *Tantò (enim) conſpectius in ſe crimen habet: quantò qui peccat, major habetur.* Gravius eſt peccatum appetitu, quâ nudâ cogitatione; gravius item dicto & facto, quàm appetitu aut cogitatione com-

commissum. Gravius est peccatum affectatum, quam inaffectatum. Gravius peccatum commissionis, quam omissionis, in eodem genere. Gravius est peccatum in *Deum*, quam peccatum in proximum. Gravius est peccatum in eum commissum, in quo plura nos avocare à peccando debeant, quam in alium. e. g. peccatum in parentes gravius est, in eodem genere, quam peccatum in fratrem. Gravius est scandalum datum pusillo, quam datum adultiori.

CAPUT. XII.

In quo

De Miseriis Peccatum consequentibus.

HActenus de peccato: Nunc de miseria peccatum consequente.

Miseria hæc temporalis aut æterna est.

Utraque corporalis est vel spiritualis.

Canones.

I. *Totam hominis miseriam complexus est Deus mortis vocabulo.*

Genes. 2. 17. *Quo die comederis ex eo* (fructu scilicet arboris scientiæ boni & mali) moriendo morituri es.

II. *Mortis illius quatuor gradus sunt.*

III. *Primus gradus est mors Spiritualis, quæ est privatio vitæ spiritualis, quâ destitutus homo, vivit tantùm peccato.*

Apoc. 3. 1. *Novi opera tua, nempe quod dicaris vivere, sed mortuus sis.*

IV. *Secundus gradus est mors Afflictionum, quæ est privatio felicitatis primævæ, & immissio omnis generis calamitatum.*

Exod.

Exod. 10. 17. *Supplices orate Jehovam, ut amoveat à me mortem istam.*

v. *Tertius gradus est mors Corporalis; quæ est privatio hujus vitæ, & corporis in terram resoluti, spiritúsque ad Deum reversio.*

Eccles. 12. 9. *Redeunte ipso pulvere* (i.e. humano corpore, ut Ge. 3. 19) *in terrâ quemadmodum fuerat: spiritu autem redeunte ad Deum, qui dederat eum.* Redit anima ad *Deum*, aut tanquam ad Patrem, aut tanquam ad justum judicem. Etsi autem mors Christi beneficio, in transitum ex hac vita ad æternam conversa sit, hoc tamen loco consideranda est, qualis in se est.

VI. *Quartus gradus est mors Æterna seu status damnatorum, qui mortis corporalis respectu, mors secunda nominatur.*

Apoc. 21. 8.

VII. *De statu damnatorum, nihil extra Scripturam fingendum est.*

VIII. *Consistit autem hic status, in privatione summi boni, & immissione summi mali.*

IX. *Summi boni privatio est, quâ in æternum exclusi erant Dei & beatorum communione.*

Matth. 25. 41. *Exsecrandi abite à me.*

X. *Summum contra malum erit, æterna communio cum Diabolo & Angelis ejus.*

Matth. 25. 41. *In ignem illum æternum, illum paratum Diabolo & Angelis ejus.*

XI. *Locus damnatis destinatus infernus est.*

XII. *Ubi verò infernus sit, nec experiri nec scrutari expedit.*

XIII. *Satis est, in Scripturis nominari* gehennam (*a*) fornacem ignis, (*b*) locum tormenti, (*c*) carcerem (*d*) abyssum (*e*) & stagnum ignis, (*f*) ardentem igne & sulphure. (*g*)

(*a*) Matth. 5. 22. (*b*) Matth. 13. 42. (*c*) Luc. 16. 28. (*d*) 1 Pet. 3. 19. (*e*) Apoc. 9. 1. (*f*) Apoc. 20. 15. (*g*) Apocal. 21 8.

XIV. *Pœnarum considerandæ est multiplicitas, gravitas, & æternitas.*

XV. *Multiplicitas indepetet, quia cruciatus erunt Spirituales, & corporales.*

XVI. *Spiritualium præcipui sunt, vermis conscientiæ non moriens* (*a*) *cumq; consequens extrema & ineffabilis compressio & angustia.* (*b*)

(*a*) Esa. 66. 24. (*b*) Roman. 2. 9.

XVII. *Corporales Ignis inexstinguibilis nomine indigitantur; igne autem in hac vita non est exquisitior cruciatus.*

Marc. 9. 43. 44. Apoc. 20. vers. 15.

XVIII. *Gravitas ejulatu & stridore dentium indicatur.*

Sunt enim hæc symptomata summi cruciatûs & doloris. Vide Matth. 22. 13.

XIX. *Miseria autem hæc æterna est, è qua reprobis nulla expectanda liberatio.*

Luc. 16. 26. *Inter nos & vos hiatus ingens constitutus est, ut ii qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque isthinc huc transire* Apoc. 14. 11. *Fumus cruciatûs ipsorum ascendet in secula. seculorum.*

XX. It-

xx. *Insulsa, nec multa refutatione digna sunt Papistarum, ex Poetarum Ethnicorum somniis petita, de Limbo Infantum, Patrum, & purgatorio deliria.*

CAPUT XIII.

In quo

De Lege Morali.

HActenus de statu Innocentiæ & Miseriæ: Sequitur status Gratiæ & Gloriæ.

Partes doctrinæ de statu Gratiæ duæ sunt: prior de Redemptore, tanquam causâ hujus statûs efficiente; posterior de vocatione nostri ad hunc statum.

Redemptor ex Lege & Euangelio cognoscitur: ex lege quidem Redemptionis necessitas; ex Euangelio verò Redemptionis veritas.

Lex est doctrina, quâ Deus, quid à nobis fieri velit, sub comminatione mortis æternæ & promissione vitæ æternæ ostendit, ut ἀδυναμίαν illi satisfaciendi in nobis sentientes, ad Christum quærendum compellamur.

CANONES.

1. *Lex divina per Mosen tradita, à lege naturali, primo homini indita, cujus reliquiæ etiam nunc in gentilibus quoque cernuntur, non re, sed ratione tantum differt.*

Rom. 2. 14, 15. *Gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt, faciunt: isti legem non habentes sibi ipsis sunt lex. Ut qui ostendant opus Legis scriptum in cordibus suis.*

A. R. Quocirca omnes universim tenemur ad obedientiam legi Morali præstandam; non quia manaverit à Mose, quæ causa ad solos Judæos obligandos facit, sed quoniam naturæ lex est.

II. *Nemo hominum est, præter Christum, qui Legem perfectè servârit aut servare possit.*

III. *Quinimò transgressionis ac violationis, totius Legis, omnes sumus rei.*

Rom. 3. 23. *Omnes peccarûnt, ac deficiuntur gloriâ Dei.*

IV. *Duplex igitur est nostra miseria: quòd vitæ æternæ promissione non tantùm excidimus; sed & mortis æternæ rei simus.*

Lev. 18. 5. *Qui fecerit hæc vivet per ea.* Deut. 27. 26. *Maledictus qui nō præstiterit verba legis hujus faciendo ea.*

V. *Duplicem proinde satisfactionem requirit à nobis, si servari velimus. Obligat enim nos ad pœnam, & ad obedientiam; illam comminatio, hanc promissio Legis requirit.*

Falsò itaque hæc disjunctivè pronunciantur: aut ad obedientiam, aut ad pœnam nos obligari. Obligat nos lex ad utrumq; nulla enim via alia est ad vitam æternam perveniendi, quàm legis impletio, de qua Christus inquit, *Fac hæc & vives*, Luc. 10. 28. Si maximè igitur à reatu ac pœna transgressionis liberaremur, vitam tamen æternam, sine Legis implerione, impetrare non possemus.

VI. Nem-

VI. *Neutram satisfactionem cùm nos præstare possimus, utramque quærere nos jubet in Christo.*

VII. *Atque hoc fine Lex post lapsum à Deo, postliminii quasi jure, repetitur.*

Primo enim homini data & indita est, ut propriâ obedientiâ, si vellet, æternam felicitatem consequeretur: homini verò lapso proponitur, ut omni Legem implendi facultate destitutus, eam impleat per Christum, Roman. 10. 4. *Finis Legis est Christus, ad justitiam, cuivis credenti.*

VIII. *Promulgatio igitur Legis in monte Sinai Israelitis facta, summum erat beneficium.*

IX. *Legem nec tanquam imperfectam Christus correxit, nec velut alter Moses novam sanxit, sed à Pharisæorum corruptelis illam vindicavit.*

Pharisæi præcepta Dei tantum κατὰ τὸ ῥητὸν interpretati sunt, & externam solùm obedientiam urserunt, ut ex illorum refutatione patet, Matth. 5. Falluntur igitur Samosateniani & illorum similes, Legem imperfectionis arguentes: etsi enim nostri respectu imperfecta sit, quod nostro vitio ad vitam non sufficiat, perfecta tamen est in se, perfecta quinetiam idea justitiæ Regni cœlorum exstitit.

X. *Falsò quoque Pontificii astruunt, Legis perfectionem magis in consiliis, quàm in præceptis consistere.*

Partes Legis tres sunt: moralis, ceremonialis, & forensis.

Lex moralis est, quam Deus decem præceptis complexus est.

Regulæ Decalogum rectè intelligendi & explicandi sequentes sunt.

CANONES

CANONES.

I. *Cujuſque præcepti interpretatio, ex proximo ejus fine petenda eſt.*

II. *Præcepta cum breviſſima ſint, ſynecdochica quæque ſunt. Ex negativis ergò affirmativa, & contrà; ex præceptis prohibita, & contrà; ex ſpecie genus, & contrà; ex cultu externo internus, & contrà; ex factis & dictis, cupiditates quoque, conſilia & actiones; ex relatis denique correlata ſunt intelligenda.*

III. *Unum idemq; ad aliud atque aliud præceptum diverſo reſpectu poteſt reduci.*

IV. *Lex generalis cedit ſpeciali.*

V. *Major eſt emphaſis præcepti negativi, quàm affirmativi.*

Negativum enim multò latiùs patet, cùm affirmativa circumſtantias includant. Affirmativum obligat ſemper, ſed non ad ſemper; negativum verò obligat ſemper & ad ſemper. Exempli gratia: ad benefaciendum proximo ſemper obligati ſumus, ſed non ad ſemper; nec enim ſemper datur benefaciendi occaſio. E contrario proximum lædere nunquam licet.

VI. *Hinc plura præcepta ſunt negativa, quàm affirmativa.*

VII. *Peccata quævis eius nomen gerunt, quod nominatim prohibetur.*

Factum hoc ideò, ut peccatorum fœditatem melius cognoſceremus. Sic Chriſtus libidinoſum mulieris aſpectum *Adulterium*, & Joannes odium *Homicidium* appellat, Matth. 5. 28. 1. Joan. 3. 15.

VIII. *Promiſſiones terrenæ cœleſtium rerum ſunt ſymbola.*

Falſo

Falsò igitur Servetani & Anabaptistæ somniant, promissiones illas tantum terrenas esse. Terrenæ cœlestes includunt: sic enim Deo ſe populo rudi & sub pædagogo agenti, accommodare visum est.

Partes Decalogi duæ sunt: Præfatio, & Præcepta.

Præfatio duplex est: una Mosis, altera Dei.

Mosis præfatio hæc est: *Tum eloquutus est Iehova omnia hæc verba.*

Dei præfatio verò sic sonat: *Ego sum Iehova Deus tuus, qui eduxi tè terra Ægypti.*

Quibus verbis autoritatem αὐτοκρατορικὴν, & plenum præcipiendi imperium demonstrat; rationibus petitis. 1. Ab essentia sua divina, cujus symbola sunt nomina, *Iehova Elohim.* 11. A fœdere gratiæ, cujus nota est vox complexa, *Deuterum.* 111. A redemptionis beneficio, cujus typus est liberatio Israelitarum ex *Ægypto.*

Præceptorum duæ sunt tabulæ: prior de officio nostro erga Deum; posterior de nostro officio erga proximum.

Prioris tabulæ summa est, *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde, ex tota anima tua, ex totis viribus tuis.*

Requirunt hæc verba tum sinceritatem, tum perfectionem dilectionis: sinceritatem, quia *cordis, animæ & omnium virium* fit mentio: perfectionem, quia *toto corde, totâ animâ, & totis viribus* Deum diligere jubemur.

Ad hanc tabulam quatuor præcepta pertinent.

Primum indicat, Quis pro vero Deo sit colendus.

Secundum,

Secundum, Quo ritu coli velit.

Tertium, Quæ reverentia nomini Dei, in tota vita exhiberi debeat.

Quartum, Quibus temporibus legitimus Dei cultus publicè sit testificandus.

Posterioris tabulæ summa est, *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

Mandatum hoc priori simile dicitur; quia ut illud summa est quatuor primorum præceptorum, ità hoc summa est sex ultimorum præceptorum de charitate erga proximum.

Huc igitur refertur.

1. Præceptum quintum, De conservanda dignitate proximi.
2. Sextum, De vita ejus.
3. Septimum, De pudicitia ejus.
4. Octavum, de facultatibus ejus.
5. Nonum, de fama ejus.
6. Decimum, de cohibendis quoque vitiosis in proximum affectibus.

Atque hæc de Lege morali ad necessitatem Redemtionis evincendam sufficiant; quæ enim bona opera ad unumquodque præceptum pertineant, secundo libro docebitur.

CAPUT

CAPVT XIV.

In quo

De Lege Ceremoniali, & Forenſi.

LEgi morali ancillatur cere monialis, & forenſis: illa priori, hæc poſteriori cumprimis tabulæ.

Lex ceremonialis eſt, quâ Deus certas ceremonias & ritus externos, velut typos Chriſti olim exhibendi, præcipit.

CANONES.

I. *Lex ceremonialis pædagogus eſt ad Chriſtum.*

Galat. 3. 14.

II. *Lex ceremonialis cedit morali.*

Primò, quia legis moralis quodammodo ea ancilla. Secundò, quia non perpetua eſſe debuit. Tertiò, quia major habenda eſt ratio charitatis, quàm ceremoniarum. Hinc illud Hoſeæ. 6. 6. *Miſericordiam volo, non ſacrificium.*

III. *Lex ceremonialis erat velut Chirographum & teſtimonium reatus, quo conſtricti tenentur omnes homines.*

Coloſſ. 2. 14. *Ac deleto, quod adverſùs nos erat, rituum chirographo, quod, inquam, erat nobis ſub contrarium; ipſe verò cruci affixum ſuſtulit è medio.*

IV. *Lex igitur ceremonialis ſublata eſt per Chriſti mortem.*

v. *Uſus ejus ante Chriſti mortem ſalubris; poſt mortem ejus, uſque ad Euangelii promulgationem indifferens fuit; ſed poſt Euangelii promulgationem inſalubris non tantùm ceremoniarum obſervatio, ſed & mortifera exiſtit.*

Hinc Paulus initio Timotheum, propter infirmitatem Iudaorum, circumcidi curavit, Act. 16. 3. Verum ex quo plenius Euangelium patefactum eſt, Titum circumcidi noluit, Galat. 2. 3. Et ſanè ceremoniarum Iudaicarum obſervatio nihil hodiè eſſet, quàm adventus & mortis Chriſti negatio.

VI. *Vi igitur damnabilis eſt Encratitarum & aliorum veterum hæreticorum ſententiâ, quâ cibos quosdam, tanquam per ſe impuros prohibuerunt; ità averſandus Papiſtarum error, ceremonias partim Ethnicas, partim Iudaicas, Eccleſiæ obtrudentium.*

Præcepta legis ceremonialis, aut de perſonis ſacris ſunt, aut de rebus ſacris.

Perſonæ ſacræ erant, in genere, omnes circumciſione initiati, quâ ad reliquos quoque ritus ſervandos obligabantur, & de ſanctificatione per Chriſtum admonebantur. In ſpecie verò, perſonæ ſacræ erant Miniſtri, ordinarii et extraordinarii.

Ordinarii erant Sacerdotes et Levitæ.

Sacerdotes erant, qui Legem interpretando, ſacrificando, intercedendo et benedicendo, quæ apud Deum et homines peragenda erant, adminiſtrarunt.

CA N O-

CANONES.

I. *Summus Sacerdos typus fuit Christi summi Sacerdotis.*

II. *Splendidus ejus amictus & ornatus, ad regalem propemodùm dignitatem accedens, typus erat dignitatis Christi, ac imprimis perfectissimæ justitiæ.*

Vide Zach 3.5.

III. *Præcipuum ornamentum erat amiculum, & pectorale amiculo sustentatum : in amiculo erant nomina duodecim tribuum, gemmis inserta; in pectorali latebat Vrim & Thummim, ex quibus responsa dabantur Ecclesiæ. Amiculum itaque Ecclesiam repræsentavit; Vrim & Thummim. h. e. lumina & perfectiones, Christum designabant, Verbum & Interpretem Patris, Lucem & Perfectionem nostram. Amiculum ostendebat Christum τὰ πρὸς ὑμᾶς: pectorale verò docebat ipsum τὰ πρὸς Θεὸν peragere.*

Levitæ erant qui primogenitorum loco adhibiti, Sacerdotibus præstò erant, tabernaculúmque, cum ejus instrumentis custodiebant & deportabant.

Extraordinarii Ministri erant tum Prophetæ, tum Nazaræi.

Prophetæ erant, qui divino instinctu Sacerdotes & populum docendo ac in ordinem redigendo, typi fuerunt Christi, magni illius Prophetæ.

Nazaræi erant, qui peculiari voto á vino abstinentes, eóque se consecrantes, typi erant sanctimoniæ Christi.

Cultus

Cultûs sacri tum instrumenta, tum modus spectandus.

Instrumenta erant Tabernaculum & quæ in Tabernaculo servabantur, nempe arca, altaria, mensa, & labrum æneum.

CANONES.

I. *Tabernaculum typus erat Deitatis in Christo σωματικῶς habitaturæ.*

Joan. 1. 14. Ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *habitavit inter nos*, velut in Tabernaculo. | Coloss. 2. 9. *In eo inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter.*

II. *Tabernaculi artificiosa coagmentatio figura erat coagmentationis Ecclesiæ, super Christum fundandæ.*

Ephes. 2. 20. 21.

III. *Tabernaculi deportatio figurabat peregrinationem Ecclesiæ Christianæ in hac terra.*

IV. *Unitas templi significabat unitatem Christi & Ecclesiæ.*

V. *Partes ejus tres erant; Atrium, Sanctum, & Sanctum Sanctorum.*

VI. *Atrium, in quo populus conveniebat, figura erat Ecclesiæ visibilis, in qua boni & mali.*

VII. *Sanctum, erat atrium Sacerdotum, typus verorum Ecclesiæ membrorum, generis illius electi & regalis Sacerdotii.*

1 Petr. 2. 9.

VIII. *Sanctum Sanctorum, in quod nemo nisi summus Sacerdos & quotannis quidem semel tantum ingressus est, adumbrabat Sanctuarium cœleste, in quod nostro bono ingressurus erat Christus.*

IX. *Ve-*

IX. *Velum templi Cherubinis refertum, carnem Christi, divinam naturam quodammodo operientem, denotabat.*

X. *In atrio erat tum altare holocausti æreo obductum, carnem Christi cum divina natura unitam, adeoque virtutem, quælibet pro nobis perferendi, significans; tum altare suffitûs, Christi pro nobis intercessionem indigitans.*

XI. *Ibidem erat labrum æneum, purgationibus destinatum, quod significabat, Christi sanguine nos purgari, ut grata Deo offeramus sacrificia.*

XII. *In Sancto, seu Sacerdotum atrio, erat mensa eique impositi panes propositionis & lychnuchus aureus, quibus docebatur, Christum suis cibum, potum, & lucem ad vitam æternam esse.*

XIII. *Ibidem erant vasa aurea ad aspersionem & suffitum parata, tam sacrificium, quam intercessionem Christi repræsentantia.*

XIV. *In Sancto Sanctorum erat Thuribulum aureum, summo Sacerdoti proprium, & Arca fœderis.*

XV. *Arca ex ligno cedrino facta, et auro obtecta, duarum Christi naturarum erat figura.*

XVI. *Impositæ arcæ tabulæ fœderis, manna & virga Aaronis, docebant Christum suos docere, alere, & regere.*

XVII. *Operculum arcæ Propitiatorium dictum, una cum Cherubinis, unde Deus se Mosen alloquuturum promisit, typus erat Christi tegentis peccata nostra, defendentis nos per Angelos suos, & Verbum Patris nobis exponentis.*

Modus

Modus cultûs Levitici partim in rebus Deo offerendis, partim in temporibus sacris consistit.

Res Deo offerendæ erant sacrificia, tum ἱλαστικὰ seu expiatoria, tum Eucharistica.

Expiatorium sacrificium (*Peace offering*) erat, cûm animalium mactatione & oblatione testati sunt fideles, se mortis reos esse, sanque fiduciam in sanguinem Christi, tanquam agni illius immaculati, olim pro peccatis mundi offerendi, collocare.

Sacrificium Eucharisticum offerebatur pro omnibus, aut pro certis peccatis.

Sacrificium pro omnibus peccatis, *holocaustum* (*Burnt-offering*) dictum, totius victimæ combustione peragebatur.

Sacrificium pro certis peccatis, *redimens* dictum, pro peccato erat, aut pro reatu.

Sacrificium pro peccato (*Sin-offering*) erat, quo expiatum erat peccatum, vel ore aut ignorantiâ commissum.

Vide Levit. 4. 2, 3.

Sacrificium pro reatu (*Trespasse offering*) erat quo expiabatur peccatum, scienter quidem, sed ex infirmitate commissum.

Levit 5. & 7.

Eucharistica sacrificia (*Offerings of Thanksgiving*) erant, quæ gratitudinis testificandæ nomine oblata erant.

Hæcque peragebantur aut muneribus tantùm, aut etiam animalibus adhibitis.

Sacrificium muneribus peractum, *libatio* (*Meat-*

(*Meat-offering*) dictum erat, in quo cibus, potus, oleum, sal, thus, &c. offerebantur.

Sacrificium adhibitis animalibus peractum, aut pinguedinis tantùm victimarum incensione, aut animalium quoque mactatione cum libatione expediebatur: illud *hostia pacificorum*, istud *sacrificium laudis* dicebatur.

Tempora sacra erant dierum & annorum.

Tempora sacra dierum erant. 1. Cujusque diei tempus matutinum, & duæ vesperæ, quibus juge sacrificium offerebatur. 2. Diei septimi seu Sabbati, quod sanctificationis & requiei per Christum parandæ figura erat. 3. Calendarum seu Neomæniarum.

Tempora annorum anniversaria erant, aut post plures annos recurrentia.

Anniversariæ solennitates majores aut minores erant.

Majores erant, Festum Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum.

Paschatis festum, decimo quinto die mensis primi celebratum, erat ut μνημόσυνον liberationis ex Ægypto, & ut typus futuræ liberationis per Christum.

Pentecostes festum, quinquagesimo à Paschate, die celebratum, erat ut μνημόσυνον Legis in monte Sinai latæ, & typus ejus, per Spiritum sanctum olim mittendum, in corda nostra inscribendæ. Oblatæ etiam sunt hoc festo frugum primitiæ, unde *festum primitiarum* dictum fuit.

Tabernaculorum festum, decimo quinto die septi-

septimi mensis celebratum, erat ut μνημόσυνον gratiosæ conservationis Israelitarum in deserto, sub tabernaculis, & ut typus Incarnationis Christi. Gratiæ etiam actæ sunt Deo hoc festo, pro frugibus ac messe, unde *festum collectionis* quoque dictum est.

Minores solennitates erant, festum clangoris seu tubarum, primo die mensis septimi (quo annus civilis inchoabatur) celebratum, & festum expiationis in diem decimum ejusdem mensis incidens: illud clangoris Evangelii, hoc expiationis per Christum figura fuit.

Solennitates post plures annos erant, annus Sabbaticus & annus Jubilæus.

Annus Sabbaticus seu hebdomadarius erat septimus quisque annus, quo terræ cultus & debitorum exactio intermissa erat.

Annus Jubilæus erat quinquagesimus quisque, quo possessiones ad dominos suos redibant, & servi Hebræi manumittebantur, in typum manumissionis ex servitute peccati & diaboli per Christum.

Tantum de Lege Ceremoniali. Forensis est quæ ad politiæ Judaicæ constitutionem pertinet.

CANONES.

I. *Ut Lex Ceremonialis Deum, ita forensis proximum respicit.*

II. *Lex Forensis in iis, quæ Legi Morali consentanea & juris communis sunt, nos quoque obligat.*

III. *Quæ vero peculiaris erant juris, & pro-*

pro terræ promissæ ac politiæ Iudaicæ conditione præcepta sunt, ad illa non magis obligamur, quam ad aliarum rerum publicarum jura municipalia.

CAPUT XV.

In quo

De Euangelio; ejusque cum Lege convenientia & ab illa differentia.

HActenus Redemptionis necessitatem ex Lege vidimus: nunc ejus veritas in euangelio spectanda est.

Euangelium est lætum nuncium, seu doctrina de Dei Filio in hunc mundum misso, ut, assumtâ humanâ naturâ, Legis maledictionem, nostro loco, subiret, & eidem perfectissimè obediendo, vitam nobis æternam promereretur.

CANONES.

I. *Conveniunt Lex & Euangelium causâ efficiente principe, Deo; & instrumentali, Verbo scripto. Differunt autem causis instrumentalibus externis: tum quod* Lex *per Mosen, Euangelium per Christum plenè traditum sit; tum quod* Lex *naturaliter quoque homini nota sit; Euangelium vero non nisi ex gratiosa Dei revelatione.*

II. *Conveniunt materiâ communi; quod utrinq; urgetur obedientia additis promissionibus, & comminationibus. Differunt autem materiâ propriâ: Lex enim primario facienda; Euangelium vero primario credenda docet.*

III. *Conveniunt formâ communi; quod u-*

trinque

trinque perfectæ obedientiæ exhibeatur speculum. Differunt autem formâ propriâ. Lex enim docet, quæ sit perfecta illa ac Deo placens justitia; Evangelium verò docet, ubi seu in quonam reperiamus perfectam illam justitiam. Lex illam à nobis efflagitat; Evangelium illam in Christo demonstrat.

IV. *Conveniunt fine summo, Dei gloriâ; cíque proximè subordinato, salute nostrâ, quæ utrinque spectatur. Differunt verò finibus propriis. Lex enim eò data est, ut ad Christum quærendum impellat; Evangelium verò ut Christum exhibeat.*

V. *Conveniunt objecto communi, homine ipso scilicet. Differunt autem objecto proprio. Legis enim objectum proprium est homo consternandus & humiliandus; Euangelii verò, iam consternatus & humiliatus.*

VI. *Conveniunt adjuncto communi, sanctitate, bonitate & perfectione, quam Lex juxta & Euangelium in se considerata, habent. Differunt autem, quòd ex accidenti & propter nostram infirmitatem, Lex sine Evangelio ad salutem sit insufficiens.*

VII. *Apparet ex hac collatione, quo pacto Lex & Euangelium in Scripturis ut subordinata, aut ut opposita proponantur.*

VIII. *Opposita sunt, respectu hominis irregeniti & regeniti: subordinata verò sunt, in homine regenito.*

Tanquam opposita proponuntur ab Apostolo, | Rom. 6. 14. *Non estis, inquit, sub lege, sed sub gratiâ.*

Hic

Hic statum hominis ante & post regenerationem indigitat. Sub lege esse dicitur homo infidelis: 1. Quia est sub maledictione legis. 2. Quia est sub legis rigore, quo justitiam ac obedientiam perfectam requirit. 3. Quia ex lege peccandi occasionem captat, juxta illud, *Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.* Vide Roman. 7. 8. *Sub gratia* verò esse dicitur homo fidelis. 1. Quia liberatus est à maledictione legis. 2. Quia liberatus est à legis rigore & perfectæ justitiæ exactione, quippe quam Christus præstitit. 3. Qui liberatus est à peccato regnante, sic, ut non ampliùs ex lege peccandi occasionem captet, sed per Spiritum S. legi, gratitudinis testificandæ causâ, parere incipiat. Tanquam subordinata verò urgentur, cum *legis Finis* Christus esse dicitur, Rom. 10. 4. Cum *pædagogus ad Christum* nominatur, Galat. 3. 24. Cumque lex ei, qui Spiritûs opera facit, non adversari dicitur, Gal. 5. 22, 23. Quam enim justitiam lex requirit; eam homini fideli Euangelium in Christo exhibet. Et tametsi plenè in hac vita legi satisfacere nequeamus, renati tamen ei per sanctificationis donum parere incipiunt.

CAPUT XVI.

In quo

De Persona Christi Θεανθρώπε.

PArtes doctrinæ Euangelicæ de Christo Redemptore duæ sunt: prior de Persona, posterior de Officio ejus.

Personæ ratione Redemptor Θεάνθρωπος est, h.e. Dei æternus Filius, in tempore incarnatus, seu homo factus.

Ioan. 1. 14. *Et Sermo ille caro factus est, & commoratus est inter nos.* Gal. 4. 4. *At postquam venit plenum illud tempus, misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* 1. Tim. 3. 16. *Et ut in confesso est. Magnum est mysterium pietatis, Deus conspicuus factus est in carne.*

CANO-

CANONES.

1. *Incarnatio Christi inchoativè opus totius SS. Trinitatis est, terminativè verò solius Filii.*

Solus enim Filius naturam humanam assumsit, quam pater in Filio per Spiritum Sanctum ex substantia Beatæ Virginis formavit.

II. *Persona Christi aut ἀσυνθέτως consideratur, ut Sermo ille ac æternus Dei Filius; aut συνθέτως, tanquam Θεάνθρωπος. Prior consideratio κατὰ Θεολογίαν, posterior καὶ οἰκονομίαν seu gratiosam dispensationem fieri dicitur.*

III. *Similiter natura divina aut καθ' ἑαυτὴν ac simpliciter, aut relatè, quatenus est in persona τοῦ Λόγου & καὶ οἰκονομίαν spectatur.*

IV. *Etsi igitur verum sit, Christum Deum hominem factum esse, non tamen sequitur, Deitatem incarnatam esse; aut Filio incarnato, Patrem quoque & Spiritum sanctum esse incarnatum.*

V. *Materia ex qua, Incarnationis, est semen mulieris, seu B. Virginis.*

Gen. 3. 15.

VI. *Forma eius, in personali unione consistit, quâ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, Christus manfit quod erat, & factus est quod non erat.*

VII. *Finis eiusdem, est Dei gloria & salus nostra.*

VIII. *Necessitatem incarnationis Christi cum Veritas Dei evincit, tum Salus nostra.*

IX. *Dei Veritas; quia in Veteri Testamento Vaticiniis compluribus prænuncista, & variis typis adumbrata fuit.*

Vaticinia

Vaticinia illustria sunt Genes. 3. 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem hanc; & inter semen tuum & semen hujus: hoc conteret tibi caput, tu autem mordebis ei calcanetum*, Genes. 22. 18. *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, Esay. 7. 14 *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabis nomen ejus Immanuelem*, Esay 9. 6, 7. *Puer natus nobis, Filius datus nobis, &c.* Jer. 23. 5. *Ecce dies venturi sunt, quibus excitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, sapiet, & faciet judicium & justitiam in terra: diebus ejus servabitur Jehuda, & Israel habitabit securè: atque hoc nomen ejus est, quo vocabit eam Israel, O Jehova justitia nostra.* Typi verò ejus erant Tabernaculum, Arca fœderis, & similia, de quibus suprà. Imprimis Melchisedecus ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, Hebr. 7. 3. & species humana, quâ Patribus olim frequenter apparuit.

x. *Salus vero nostra ideo Incarnationis necessitatem evincit: quia servari non potuimus nisi per talem Redemptorem, qui Deus & homo in una persona, adeoque Θεάνθρωπος, esset.*

xi. *Deus ut esset, partium requirebat conditio: illinc Dei Majestas; hinc nostra egestas & magnitudo mali tollendi, & boni restituendi.*

Majestas Dei tanta est, ut nemo, nisi qui cum Patre unum est, se interponere potuerit. Nè quidem Angeli id facere ausi fuissent, quia Mediatore Christo ipsi, quoque opus habent, Colos. 1. 16, 17. quia nè quidem ipsi ad Deum collati puritati ejus respondent, Jobi. 15. 15. ideoque coram *Deo* faciem suam obvelant, Esay. 6. 2. Quanto minus igitur hominum quispiam, cum ne unicus quidem justus fuerit? Rom. 3. 10. Malum tollendum erat peccatum & consequentia peccatum: Ira Dei, potestas Satanæ, Morsque temporalis & æterna. Jam verò, cujus quæso passione, infinitæ Majestatis offensa expiari poterat, nisi ejus, qui ipse quoque infinitus est? Cujus intercessione ira Dei placari poterat,

poterat nisi ejus, qui est Filius ille Dei dilectissimus? Cujus viribus Satan cum tota tenebrarum potestate vinci poterat, nisi ejus, qui omnibus diabolis est potentior? Quis denique mortem superare potuisset, nisi qui mortis etiam potestatem habet? Hebr. 2. 15. Bona verò restituenda erant, perfectajustitia, θεοσία, Dei imago, Spiritus S. dona, Vita æterna, & similia. Iam verò, Quis justitiam illam nobis donare posset, nisi qui est ipsa justitia? Quis melius nos filios Dei faceret quàm naturalis ille Dei Filius? Quis ad imaginem Dei nos rectius instauraret, quàm qui ipse est imago Dei invisibilis? Quis certius Spiritum S. conferret nobis, quàm is, à quo procedit: Quis denique Vitam nobis æternam daret, nisi qui est Vita ipsa: Ioan. 1. 4.

XII. *Homo ut esset, Dei postulabat justitia quæ ut peccatum impunitum non relinquit, ità illud non punit nisi in ea natura quæ peccavit.*

Prius hujus canonis lemma, tum ex justitia, tum ex veritate Dei manifestum est. Ex justitia, quia hac Deus peccatum non tantum adversatur, sed punit quoq; Psal. 5. 5, 6, 7. *Non es, O Deus fortis, qui delectetur improbitate: non est commoraturum apud te malum. Non consistunt insani è regione oculorum tuorum, odisti omnes qui operam dant iniquitati. Perditurus es loquentes mendacium: virum sanguinarium & dolosum abominatur Iehova.* Ex veritate verò; quia comminatio, aut e lapsum data, irrita esse non potuit. Inane igitur est Socini delirium (ut meritum Christi evertat) justitiam Dei talem fingit, quæ non necessariò aut mortem æternam inferat, aut satisfactionem requirat, quæque hac in parte de jure suo remittere queat. Quod si punienda fuerunt peccata, in nostra utique natura punienda erant; homini enim lex data est, homini Deus mortem minatus est. Homini igitur pœna quoque luenda incumbit.

XIII. Θεάνθρωπος *verò, h. e. Deus & Homo in una Persona esse debuit, ut Mediatorem inter Deum & nos agere posset.* Me-

Medius itaq; inter Deum & Homines, h.e. Deus & Homo, simul fuit, ut, quæ apud Deum & homines peragenda erant, expediret, Heb. 5. 1. Efflagitante utramque naturam in eadem persona opera θεανδρικὰ de quibus in sequenti capite fusius.

Partes Incarnationis Christi duæ sunt: Conceptio, & Nativitas.

In conceptione tria docendi causâ spectantur, naturæ humanæ formatio, assumtio, & personalis unio.

Formatio naturæ humanæ Christi est quâ illa, sine virili operatione, è sanguine Mariæ Virginis, à Spiritu sancto est producta.

Canones.

I. *Spiritus sanctus non materialis sed efficiens causa est conceptionis Christi: conceptus est non de substantia sed de potentia ejus*, non generatione, sed jussione & benedictione. *Aug.*

II. *Materia proxima est sanguis* B. *Virginis.*

III. *Forma conceptionis Christi consistit in sanguinis* B. *Virginis per Spiritus S. virtutem præparatione & sanctificatione, in corporis formatione, qua simul & semel, non successivè, ut aliorum hominum corpora, perfectum fuit, & in animæ rationalis inspiratione.*

Cum in ordinaria generatione formationis tempus quadraginta dierum statuatur, corpus Christi momento absolutum fuit, Alioquin conceptus esset non Christus homo, sed embryo.

IV. *Finis miraculosæ conceptionis Christi est, ut immunis esset à peccato originali. Hoc quippe omnibus*

omnibus ex Adamo, & per Adamum, h. e, naturaliter descendentibus adhæret. Christum vero sine peccato nasci oportuit, ut sanctum haberemus Sacerdotem.

Heb. 7. 17.

Assumtio humanæ naturæ est, quâ Christus verè corpus & animam humanam; cum proprietatibus & infirmitatibus, citra peccatum tamen, assumsit.

CANONES.

I. *Christus non hominem, sed humanitatem; non personam, sed naturam assumsit.*

Secus enim non Θεάνθρωπος & una persona esset, sed duæ personæ, duo Christi forent. Scriptura ipsum *Immanuelem* nominat, quia idem ille qui nobiscum, hoc est, homo est, Deus exsistit, Esaiæ. 7. 14. Idem ille Sermo æternus, caro factus dicitur, Ioan. 1. 14. Et idem Davidis Filius & Dominus appellatur, Matth. 22. 42.

II. *Nec tantùm verum corpus humanum, trina dimensione constans, & veram animam, sed & proprietates essentiales.*

III. *Imo & infirmitates non tamen damnabiles illas, sed inculpabiles & miserabiles.*

Infirmitates illæ corporis aut animæ sunt. Corporis infirmitates iterum ab extrinsecis causis sunt, ut calamitates & cruciatus ab hostibus illati: aut ab intrinseca causa exsistunt, & naturam ex quo primæva felicitate excidit universè consequuntur, ut algere, æstuare, sitire, esurire, dolere, defatigari, & similia. Animæ vero infirmitates sunt, tristitia, timor, ignorantia, &c.

IV. *Sic affectus quoque nostros in se suscepit,*

pit, sed ab omni ἀταξία aut proclivitate in malum immunes.

Personalis unio est, quâ persona Filii Dei ὑπόστασιν suam humanæ naturæ communicavit, illámque sibi & cum natura sua divina sic univit, ut servatis utriusque naturæ proprietatibus, inde una persona sit Θεάνθρωπος.

CANONES.

I. *Humana Christi natura non habet peculiarem aut aliam quam τὸ Λόγου, i.e. Filii Dei ὑπόστασιν seu subsistentiam.*

Differt igitur hac in parte Christus ab omnibus aliis hominibus, quod quivis homo præter essentiam, animam & corpore constantem, habeat peculiarem ὑπόστασιν seu modũ subsistendi, quo ab omnibus aliis personis differat: humana verò Christi natura, propriâ subsistentiâ carens, assumpta sit in consortiũ ὑποστάσεως personæ divinæ. Neque hinc concluditur, humanam naturam hac in parte, in Christo inferiorem esse, quàm in aliis hominibus: tanto enim in Christo præstantior est, quanto ὑπόστασις Filii Dei creaturis antecellit.

II. *Expedit, docendi causâ, indicari, quomodo humana natura Filio Dei unita sit & non sit.*

III. *Non unita est ei συνεσιωδῶς, ut personæ divinæ sunt unitæ. Non ἐνιωδῶς tantùm καὶ δραστικῶς, essentiâ & virtute, ut essentia Christi omnibus præsens est. Non παραστατικῶς, seu præsentia gratiæ tantùm. Non συσικῶς, ut formæ & ma-*

neria uniuntur. Non χρηματως *ut amicus amico. Non* μυστικως *tantùm, ut Christus habitat in fidelibus. Non* ἐνεργητικως *operationaliter, ut est in S. Cœna, sed* ὑποστατικως *personaliter, h. e. ad Eutychianam & Nestorianam hæresin effugiendam, plenius nos explicemus.*

1. Ἀτρέπτως, *sine personæ divinæ mutatione.*

2. Ἀδιαιρέτως, *sine naturarum divulsione, contra Nestorianos.*

3. Ἀσυγχύτως, *sine earundem confusione, contra Eutychianos.*

4. Ἀχωρίστως, *sine separatione.*

IV. *Unionis personalis tria sunt effecta: Communicatio idiomatum; Excellentia naturæ humanæ; & utriusque naturæ in operibus Theandricis cooperatio.*

V. Communicatio idiomatum, *est modus loquendi, quo de Christi Persona; quocunque modo appellatur, prædicatur, quod est alterutrius naturæ.*

Directiùs hoc fit, cùm prædicantur de persona à divina natura denominata quæ naturæ divinæ; & ab humana denominata, quæ humanæ sunt naturæ. Ut Ioan. 1. 1. *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum erat Deus, &c.* Luc. 18. 32. *Filius hominis tradetur Gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conspuetur.* Indirectius, vero tamen, hoc fit, quoties de Christo homine, quæ divinitatis; & de Christo Deo, quæ humanitatis sunt, enunciatur. Ut Ioan. 3. 13. *Nullus ascendit in cœlum, nisi qui descendit, nempe Filius hominis qui est in cœlo,* Actor. 20. 28. *Ecclesiam Deus proprio suo sanguine acquisivit.*

VI. *Communi-*

VI. *Communicatio hæc verbalis est & realis. Verbalis ratione modi loquendi, realis vero ratione fundamenti, personalis nimirum unionis.*

Ut enim verè utraque natura in persona Filii Dei subsistit, ita proprietates utriusque naturæ ei communes sunt.

VII. *Discernenda autem hic sunt vocabula concreta ab abstractis. Illa personæ sunt, hæc alterutrius naturæ.*

Rectè proin dicis, Deus est homo, & homo est Deus; sed non item, Deitas est humanitas, aut humanitas est Deitas. Etiam in naturalibus hæc differentia v. ter; multa enim in abstracto sunt opposita, quæ in concreto sunt diversa seu subordinata. Rectè dicitur animatum est corporeum, & quoddam corporeum est animatum: sed non item, anima est corpus, aut corpus est anima. Sic totus Christus ubique est, sed non totum Christi, id est, utraque natura.

VIII. Excellentia humanæ naturæ Christi *partim in donis, quæ ex unionis gratia promanant, partim in honore adorationis consistit.*

IX. *Ex donis imprimis consideranda Scientia & Potentia ejus.*

X. *Etsi scientia illa æterna, quæ proprietas divinæ naturæ essentialis est, in humanam naturam transfusa non sit; triplicem tamen scientiam humana quoque natura obtinet, Donativam, Infusam, & Experimentalem.*

XI. *Donativa* scientia beatorum *dicta, est, quâ humana natura divinæ essentiæ arctissimè unita, eandem videt, tametsi eam non comprehendat.*

Infinitum enim à finito comprehendi nequit: videt | Deum ὅλον, ἀλλ' οὐχ ὅλως.

XII. *Scientia Infusa est quâ Christus à Spiritu sancto unctus, novit quicquid ad res cœlestes pertinet; & alias non nisi per gratiæ lumen videri potest.*

XIII. *Scientia Experimentalis est, per quam cognoscit Christus, quæ lumine naturæ cognoscuntur; ex causis effecta, ex effectis causas, ex contrariis contraria, &c. intelligendo.*

XIV. *Etsi autem tum donativa tum infusa scientia Angelos non minus quàm homines superet, alia tamen est à scientia æterna, seu omniscientia.*

XV. *Scientiæ verò experimentali opponitur ignorantia, quæ Christo tribuitur; in hoc enim Scientiæ genere Luc. 2. 52. profeciſse dicitur.*

A. R. Quod ignorantia quædam Christo tribuitur non est illud propriè atque ex vero intelligendum: indignum enim videtur huic ignorationem rerum ullam attribuere, qui eo fine in mundum venit, ut tenebras nostras discuteret, & Salutaris scientiæ lumen accenderet: Et si ignorantia est carentia cognitionis necessariæ, & quâ præditum oportuit, peccato non vacat. Multum interest *nesciat* quis *peccatum*, an *ignoret*: est

est enim ignorantia privatio cognitionis, quæ habitus est; et hujus expers erat Christus, utpote in quo reconditi fuerint thesauri omnes sapientiæ atque scientiæ. Hoc sensu *Petrus*, Jo: 21. & omnes discipuli, Jo. 16. profitentur quod Christus cognoverit omnia. *Nescire* autem, sive *non scire*, notat tantummodò suspensionem actûs cognoscendi, quæ res privatio esse non potest in eo cui habitus inest. Connivere aliud est ac excutire; nam qui connivet, habet is quo videat, ut ut oculorum usuram intermittat, quibus alter planè captus est. Rursus, in Scripturis *cognoscere* idem interdum est quod *notificare*: Gen. 22. *nunc cognosco quod me timeas*: id est, notum feci atque perspectum, pari modo, *non cognoscere* poterit explicari per *ly non notificare*, ex regulâ contrariorum. In hanc sententiam dixit Christus, nescire se diem extremi judicii; id est, non se ita eum scire, ut in vulgus efferre vellet atque propalare. Ad eundem modum, cùm dicitur quod Christus in scientiâ profecerit, sensus verborum is est, non fuisse eum ignarum, verùm quod usum earum rerum atque experientiam habuerit, quarum cognitionem habitualem à principio erat nactus.

XVI. *Potentia humanæ naturæ ea data est, ut illa quoque Angelis & hominibus superior sit: virtutem enim instrumentalem accepit edendi miracula, principali tamen potentiâ seu omnipotentiâ reservatâ τῷ Λόγῳ, qui humana naturâ ut instrumento, utitur.*

XVII. *Honor, qui ex unione personali consequitur, est humanæ naturæ adoratio: non tamen carnis, qua caro est; nec creaturæ, sed Dei in carne creata.*

XVIII. *Tertium consequens unionis hypostaticæ, est* concursus utriusque naturæ in operibus, *quæ* θεανδρικὰ, Dei virilia, *&* ἀποτελέσματα *nuncupantur, in quibus hæc quatuor consideranda:* 1. ὁ ἐνεργῶν, *agens persona, seu Christus ipse.* 2. τὸ ἐνεργητικὸν, *principium secundum quod, nempe duæ naturæ Christi.* 3. ἡ ἐνέργεια, *duplex actio secundum duplicem naturam.* 4. τὸ ἐνέργημα, *opus externum, ad quod actiones illæ communionem habent.*

Facit huic simile gladii igniti in quo occurrit, 1. Unitas gladii. 3. Duo agendi principia, ferrum & ignis. 3. Duæ actiones sectio & ustio. 4. Unum opus, sectum & ustum.

Tantum de Conceptione Christi. Nativitas est, quâ Christus tempore ordinario a B. Virgine in utero gestatus, tandem genitus & in hanc lucem editus est.

Luc. 2. 6, 7. Factum est autem, cùm essent illic, ut explerentur dies ipsius ad pariendum. *Peperit igitur Filium suum primogenitum.*

CANONES.

CANONES 8.

1. *Nativitatem Christi adversus Iudæos firmiter credimus.*

Confirmatio duplex est. Prior, ex Prophetis quia & loca quibus nasci, educari, docere & pati debuit, vastata sunt; & tempus, quo secundum Prophetarum vaticinia venire debuit, præteriit. Bethlehemæ quippe nasci, *Mich.* 5. 2. Nazarethæ educari, *Esa.* 11. 1. Hierosolymam stante secundo Templo ingredi debuit, *Zachar.* 9. 9. *Chagg.* 2. 7, 9. idque abolitâ quartâ Monarchiâ, *Daniel.* 2. 44. Sceptro item à Iudæis nondum penitus ablato, *Gen.* 49. 10. At Bethlehem, Nazareth, Ierusalem, & Templum secundum jamdudum vastata sunt. Quarta illa *Monarchia* sublata est, & Sceptrum à Iuda penitus sublatum. Necesse est igitur *Messiam* venisse. Posterior, ex congruentia historiæ Lucæ Evangelistæ de nativitate Christi, cum vaticiniis Propheticis de tempore adventus *Messiæ*, *Gen.* 49. 10. de familia. *Ier.* 23. 5. de Virgine matre. *Esa.* 7. 14. de patria, *Mich.* 5. 2. de statu deniq; eius, *Esa.* 53. 2.

11. *Nativitas propriè loquendo, non est humanitatis, sed Christi hominis; non naturæ, sed personæ.*

A. R. Est profecto nativitas *naturæ* tanquam termini; *Personæ* tanquam subjecti: generatur enim tam Natura, quàm Persona; verùm hæc *terminativè*, illa *subjectivè*.

III. *Duæ sunt Filii generationes: æterna una, qua genuit eum Pater, temporalis altera, qua natus est ex Virgine: duæ quinetiam Filiationes, quarum altera Patris, altera Mariæ Filius exsistit.*

IV. *Falsò tamen duplex Filius aut duo Filii statuuntur. Non enim est in ipso ἄλλος καὶ ἄλλος, sed ἄλλο καὶ ἄλλο.*

V. *Proinde Maria non tantum* Χριστοτόκος, *(ut Nestoriani voluerunt) sed & Θεοτόκος appellanda est.*

VI. *Christi nativitas naturalis & supernaturalis est. Naturalis quatenus ordinario tempore & aperto utero; supernaturalis vero, quatenus ex virgine genitus est.*

Pontificii sub Virginitatis Mariæ tuendæ prætextu statuunt, Christum ex Maria, utero clauso, & sine ejus dolore, natum: etsi autem posterius, quod de partus ἀνωδυνία affirmant Veteres, in medio relinquimus: pernegamus tamen, per clausum uterum Christum exiviſse, cum disertè ipsi applicetur Lex, quæ vult, *ut omnis masculus διανοίγων μήτραν, sanctus sit Domino*, Lucæ 2. 23. Nec Virginitas Mariæ in hoc consistit, quòd uterus ejus in partu non apertus sit, sed quòd à viro non cognita sit.

VII. *Mariam post partum quoque Virginem mansisse credimus; non enim conjugium ejus cum Joseph in prolis generatione sed in ejus educatione & sancta vitæ conunctione consistebat.*

VIII. *Etsi Christum alii fratres subsequuti non sint, rectè tamen Mariæ Primogenitus appellatur.*

Quatuor

Quatuor modis Christus in Scriptura Primogenitus dicitur. 1. Ratione generationis æternæ, quâ prius genitus est, quàm esset ulla creatura, Coloss. 1. 15. 2. Ratione electionis & dignitatis, qua primogenitus est inter fratres, Roman. 8 29. 3. Ratione resurrectionis, quâ primogenitus est ex mortuis, Coloss. 1. 18. 4. Ratione nativitatis ex Virgine Luc. 2. 7. Primo genitus autem non tantum is est, quem alii fratres sequuntur, sed is quoque, qui primus nascitur, ut maximè unigenitus sit, aut nulli alii fratres eum sequantur. Unde reales etiam prius quàm fratres haberent, Deo consecrati sunt, tanquam primogeniti, Num. 18. 16.

IX. *Fructus nativitatis cum oratione, tum cantico Angelorum indicatur.*

Oratio est, Luc. 2. 10, 11. *Tum dixit Angelus iis (pastoribus) Ne timete; ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo: Natum esse vobis hodie Servatorem, qui est Christus Dominus in urbe Davidis.* Canticum verò est, *Gloria Deo in altissimis, & in terra pax & in hominibus benevolentia*, Ibid. v. 14.

CAPUT XVII.

In quo

De *officio Christi Mediatorio.*

HActenus consideravimus Personam Christi Redemptoris. *Officium ejus Mediatorium est, ut tanquam* Θεανθρωπος *illa quæ salutis nostræ causâ inter Deum & nos peragenda erant expediret.*

CANONES.

I. *Officium Christi Mediatorium pulchrè nomine* Jesu, Messiæ, Christi, *&* Domini, *indigitatur.*

II. *Alia ratione Christus Mediator Angelorum quàm Hominum dicitur. Illorum Mediator est, respectu gratiosæ cum Deo unionis, horum vero respectu Reconciliationis ac Redemtionis.*

III. *Causa efficiens hujus officii est tota SS. Trinitas, sed Pater κατ' ἐξοχὴν.*

Esa. 42. 1. *Ecce servus meus, quem sustento: electus meus, quem benignè accipit anima mea.* Et 49. 1. *Jehova inde ab utero vocavit me,* Psal. 110. 5. *Juravit Jehova & non pœnitebit eum, Tu es Sacerdos &c.* Heb. 5. 5. *Christus non ipse hanc gloriam sibi tribuit, ut fieret Pontifex. sed is, qui dixerat ei, Filius meus es tu, ego hodie te genui.*

IV. *Subjectum ejus non solum est totus Christus, sed & totum Christi, éstque Mediator secundum utramque naturam.* Negant

Negant hoc Sanctos teneri & Pontificii, docentes Christum secundum humanam tantùm naturam *Mediatorem* esse. Verum nititur hic canon ratione firmissimi. Si enim *Mediatoria* operasunt θεανδρικὰ ἀποτελέσματα, in quibus non tantum humana, sed & divina actione opus est, tum officium hoc Christo tribuitur etiam secundum divinam naturam. Atqui prius est. Ergo & posterius. Assumtum probatur exemplis. Sine Deitatis operatione nec occultam illam Dei sapientiam proferre, nec mentes nostras illuminare posset. Sine deitatis efficacia nec satisfactio meriti locum apud Deum habere, nec intercessio efficax esse potuisset. Sine Deitate nec onus illud iræ divinæ infinitum sustinere, nec mortem aut Diabolum superare & abolere potuisset. Sine Deitatis virtute nec Ecclesiam conservare, nec hostes coercere potuisset. Nec obstat, quod unus *Mediator* Dei & hominum *homo Jesus Christus* dicatur. 1 Tim. 2. 5. Non enim vox *hominis* naturæ est, sed personæ, & cum *Dei* & hominum *Mediator* dicitur, mediatio ὑποστατικὴ qua Deus & Homo est, præsupponitur. Multa interim testimonia sunt, quibus deitatis operatio imprimis urgetur, Act. 20. 28. *Deus Ecclesiam acquisivit proprio sanguine*, Hebr. 9. 14. Per Spiritum æternum *seipsum obtulit*. Joan. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi* Filii ejus *purificat nos ab omni peccato*. Etsi vero Filius pars offensa sit, nihil tamen obstat, quin *Mediatorem* agat apud seipsum. Ut enim propriè justitia dicitur respectu alterius, analogicè vero respectu nostri: ita mediatio propriè est respectu aliorum, analogicè vero respectu ipsius mediantis. Est quidem Christus absolute consideratus pars offensa: idem tamen *Mediator* est, quatenus per gratiosam οἰκονομίαν, Intercessoris officium in se suscepit, non secus ac Regis cuiuspiam Filius, qui una cum Patre offensus, ad perduelles transit, eosque Patri reconciliat.

V. *Obiectum*

v. *Objectum officii Christi est, Deus offensus & Homo offensæ reus.*

vi. *Modus, quo ad officium hoc vocatus est, in ubere illi Christi unctione consistit, qua Spiritus sancti Charismata, nostri respectu, sine mensura accepit.*

Psal. 45. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Iesa. 61. 1. *Spiritus Domini Iehova super me, quoniam unxit me.* Ioan. 3. 34. *Huic non admetitur Deus Spiritum.*

vii. *Finis ejus est, ut per quem Deus omnia condiderat, per eundem sibi omnia reconciliaret.*

Coloss. 1. 20.

viii. *Christus Mediator est, merito & efficacia.* Merito, *quia plenissimè pro nobis satisfecit.* Efficacia, *quia meritum nobis efficaciter applicat.*

Hinc iterum apparet, non tantum secundum humanam, sed & secundum divinam naturam, officium hoc ab illo administrari; quippe sine qua nec infiniti valoris esset meritum, nec nobis applicaretur. Servat igitur & vivificat nos, peccata remittit, ac preces exaudit, secundum humanam merito, secundum divinam naturam vero efficacia.

ix. *Christus solus & unicus Mediator est.*

Act. 4. 12. *Non est in alio quoquam salus; nec enim aliud nomen est sub cælo datum quod sit inter homines, per quod nos oporteat servari,* 1 Tim. 2. 5. *Unus est Mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus.*

Offi-

Officium hoc Christi triplex est: Propheticum, Sacerdotale, & Regium.

Propheticum officium est, ut in veritate cœlesti electos instituat.

Partes ejus sunt, externa consilii divini promulgatio, & interna mentis illuminatio.

Sacerdotale officium est, ut cum satisfactione coram Deo plenissima nostro loco compareat, & pro nobis intercedat.

Partes ejus sunt, Satisfactio & Intercessio.

Regium officium est, ut Ecclesiam gubernet & conservet.

Partes ejus sunt, Ecclesiæ gubernatio, & hostium debellatio.

CAPUT XVIII.

In quo

De *Christi Mediatoris exinanitione.*

TAntum de Persona & officio Mediatorio Christi. Status ejusdem est conditio, qua Christus tanquam Θεάνθρωπος, officium suum Mediatorium exsequutus est.

Estque tum Exinanitionis, tum Exaltationis.

Status Exinanitionis seu Humilitatis est, quo cum in forma Dei esset, formâ servi assumtâ, Patri pro nobis obedivit; mortuus & sepultus est, atque ad inferos descendit.

Officio igitur suo Prophetico, Sacerdotali, & Regio ità functus est in hoc statu, ut Deitatis formâ ac gloriâ se quodammodo abdicârit.

Non

Non exuendo se *Deitate*, sed occultando eam in assumta servi forma. Etsi vero *Deitas* Christi in humiliationis quoque statu, in miraculis præsertim, se exseruerit, parum tamen hoc fuit, si conferatur cum clara eius, in exaltatione, patefactione.

Prophetico officio, in statu Exinanitionis, functus est, non mediatè tantùm, præmisso Joanne Baptistâ Præcursore, & vocatis Apostolis, sed immediatè quoque, perditis ovibus, Israelis imprimis, veritatem cœlestem, magna cum constantia, tolerantia & efficacia, tum Doctrinæ, tum miraculorum, prædicando.

Sacerdotale verò officium administravit in hoc statu, plenissimè pro nobis satisfaciendo, humiliterque pro nobis intercedendo.

Satisfactio Christi est, quâ Legi nostro loco subjectus, maledictionem peccatis nostris debitam subeundo, & obedientiam à nobis requisitam Legi perfectissimè præstando, nos à maledictione liberavit, & vitam nobis æternam restituit.

Hæc igitur in pœnarum persolutione & justitia perfecta consistit, in illa præcipuè obedientia passiva; in hac activa imprimis elucet.

Studio hanc restrictionem addo, ne existimemus obedientiam passivam & activam sic differre, ut pœnæ persolutio in sola passiva, & *justitia* perfecta in sola activa obedientia consistat. Nec enim tempore differunt, cum utraq; à primordio incarnationis usq; ad mortem extendatur. Nec subjecto differunt, quia eadem obedientia diverso respectu activa & passiva est, adeóque obedientia Christi actio passiva & passio activa existit; quatenus enim passio pœnæ est receptio, passiva obedientia dicitur; quatenus vero summæ dilectionis est testificatio, activa nominari potest. Nec obedientiæ in activam

& passivam divisio, est divisio in partes, sed tantum distinctio a fine petita, duplici nimirum satisfactione pro pœna & pro vita æterna. Priorem Comminatio Maledictionis transgressoribus, Deut. 27. 26. facta, posteriorem Promissio Vitæ sub perfecta obedientiæ & justitiæ conditione, Lev. 18. 5. requisit. Analogicè igitur dicimur, unicâ perfectiss máque Christi satisfactione, & à pœna liberari, quia pœnas pro nobis tulit: & jure vitæ æternæ donari, quia Legem pro nobis implevit.

Persolutio pœnarum est, quâ pœnas nobis debitas in se suscepit, seque ultro pro nobis victimam sanctum Deo obtulit.

Hæc tum in perpessionibus magnam & extremam Passionem antecedentibus, tum in hac præcipuè consistit.

CANONES.

1. *Nulla passionis Christi particula à satisfactione Christi excludenda est.*

Ratio, quia nihil pro se, sed omnia nostro loco passus est.

A. P. Christi passiones verè satisfactoriæ erant, 1. Si spectemus amoris ipsius Magnitudinem, 2. Tormentorum atrocitatem & multitudinem, 3. Personæ ipsius dignitatem, 4. vitæ ipsius sanctimoniam.

11. Non

11. *Non igitur removendæ à Christi λυτρω perpessiones innumeræ, quas Christus ad extremam usque perfectionem Hierosolymitanam sustinuit. Etsi enim passio Christi extremam antecedens eius κατασκευὴ dici possit, revera tamen pars satisfactionis integralis existit.*

Sicut negari non potest, centum florenos ab eo, qui tonnas aliquot auri debet, solutos, partem esse solutionis integralem, quamvis respectu totius ad principalis summæ exiguam.

111. *Scriptura tamen synecdochicè & κατ' ἐξοχὴν extremam illam passionem, tanquam Redemptionis Λυτρον, mortémque Christi ac ejusdem in ara crucis oblationem, velut hostiam, victimam & sacrificium expiatorium describit.*

Videtur hac de re, cap. 9. & 10. ad Hebræos.

1v. *Causa huius Passionis efficiens princeps, est* SS. *Trinitas: administræ sunt, hostes Christi ex Iudæis & Gentibus.*

v. *Persona, quæ pro nobis passa est, non est Pater, nec Spiritus sed filius Dei.*

v1. *Etsi autem Deus rectè passus esse dicatur, divinitas tamen non est passa. Passus est Deus in carne, sed non cum carne.*

v11. *Perpessiones Christus varias pertulit, quarum tres sunt classes: Antecedentes Mortem, Mortem ipsa & Mortem consequentes.*

v111. *Antecedentes mortem internæ sunt & externæ.*

1x. *Internæ sunt, Tristitia, Angores & Cruciatus ex atrocitate iræ divinæ & conflictu cum tentatione*

tentatione abjectionis ac desertionis orti, qui & sanguineum ei sudorem, & miserabilem illam vocem, Eli, Eli, lama sabachthani, Deus mi, Deus mi, cur me deseruisti? expresserunt.

x. Etsi autem cum adjectionis tentatione luctatus sit, nec tamen desperavit, nec tentationi succubuit, sed eam fiducia firma in Deum superavit.

Cujus victoriæ argumentum indubium est, quòd in summo illo angore Deum, Deum suum nominare non desiit.

XI. Externæ perpessiones sunt cruciatus corporis, quos singulis propemodum membris & sensibus sustinuit: capite spinis lacerato & calamis percusso; facie sputis fœdata & alapis contusâ; auribus dicteriis & convitiis lancinatis; oculis Discipulorum & Matris luctu adfectis, linguâ siti perustâ ac aceto & felle infectâ; corpore nudato & flagris discisso, eodémque perfossis manibus & pedibus cruci affixo, ac inter latrones suspenso; nervis distractus, & latere lancea confosso.

XII. Mortis non vulgare genus, sed maledictum, delectum fuit; crux nimirum, jam olim Dei oraculo exsecrabilis.

Maledictus qui pendet in ligno, Deut. 21. 23.

XIII. *In morte Christi non soluta est personalis unio: separata est anima à corpore, sed neutrum ab* τῷ θεότητι *Filii Dei.*

A. R.

A. R. *In morte Christi non est Soluta unio personalis:* est hoc verissimum; atque eiusce causa est, quia dona Dei sunt ἀμεταμέλητα: est autem Hypostatica unio præcipuum ex donis cælestibus, quæ dissui non poterat, nisi per interventum sceleris; scelere porro nullo tentari potuit is atque devinciri, qui idcò venit ut peccatores salvaret. Non est negandum, quod Christus se derelictum fuisse atque destitutum proclamet, iis verbis, *Deus mi, Deus mi, quare dereliquisti me?* Non tamen est ea his vocibus subiecta vis, quasi dissuta fuerit per mortem aut interrupta unio hypostatica, vivus enim ista loquebatur Christus. Hoc tantum significatur inde, quod torcular solus calcaverit, imò ne solus quidem. nam ipse profitetur patrem secum unà esse; Christus eo respectu solus erat & sibi relictus, quod nonerat qui eum liberaret tormentis aut eximeret aut levaret; erat tamen qui sustentaret, præsens utique numen, absque quo nunquam ille consummâsset opus redemptionis nostræ: spissum illud atque humanis viribus maius. Pater quidem commodè dici potest illum dereliquisse, quatenus eum inter manus inimicorum omiserit, neque exemerit. At verò contrà obiici potest, animam Christi medium fuisse unionis inter deitatem & corpus humanum Christi conciliandæ: sublato Medio quâ potuerunt inter se cohærere extrema? Respondeo, medium illud congruitatis fuisse, non necessitatis; erat enim Deitas cum corpore Christi coniuncta atque unita, in utero virginis, ante infusam animam, alias non potuisset ille concipi ex spiritu sancto: ad eundem modum poterat Deitas excedenti animæ

superstes

superstes cum corpore adhuc uniri. Sic igitur habeto, animam, quâ spiritus est, medium fuisse perquam idoneum unde unirentur inter se Deitas & corpus humanum, & non erat illud ita prorsus medium ut absolutè necessarium foret.

XIV. *Perpessiones mortem consequentes, nullo quidem cum dolore, attamen cum ignominia coniunctæ, sunt sepultura Christi, & triduana eius in sepulcro detentio.*

XV. *Sepultura est pars persolutionis pœnarum, quæ corpus Christi, non secus ac quodvis humanum cadaver, in sepulcrum coniectum fuit.*

XVI. *Triduana eius in sepulchro detentio, est ultimus humiliationis gradus, quo, anima in paradisum translata, corpus Christi sub doloribus et vinculis Mortis, ach ab ea plane superatus & absorptus esset, per triduum adhuc in sepulchro triumphantibus hostibus de ipso tanquam exciso, detentum fuit.*

Act. 2. 24. *Quem Deus suscitavit solutis doloribus mortis.*

XVII. *Quæritur hîc; cum in quarto Symboli articulo Christus ad inferos descendisse dicatur, de quanam Passionis Christi parte id intelligendum sit.*

Fabulosa planè & ridicula est Pontificiorum narratio de locali Christi in limbum Patrum descensu, & eorundem liberatione: cui non multum dissimilis est illorum sententia, qui Christum in infernum ingressum esse fingunt, ut illic tanquam Victor triumpharet. Repugnat utraq; opinio Evangelicæ historiæ; cum enim Christus Deitate sua alioquin sit ubique,

ubique, anima verò ab ipso, in cruce pendente, in manus Patris commendata, & corpus in sepulchrum reconditum sit, falsum est, Christum localiter ad inferos descendisse. Ad hæc, cum Deus se Deum patrum, etiam post obitum illorum, profiteatur, Exod. 3. 6. nihil absurdius est quàm Patrum animas in limbo fuisse detentas. testatur Petrus, 1 Ep. 3. 19. Christum prædicâsse spiritibus olim immorigeris: verùm id de ea prædicatione intelligitur, quæ facta est ante diluvium, per Noachum, ad hoc, à Christo Spiritu suo instructum. Nec quicquam tandamenti habet figmentum de triumpho Christi apud inferos: tum, quia non triumphavit ante resurrectionem; tum, quia in cœlis potius quàm apud inferos triumphandum fuisset. Cæterum, cùm vox *Scheol* aliàs sepulchrum, aliàs infernum seu damnatorum locum notet, in Scripturis varias significationes habet hæc phrasis, *ad inferos descendere*. Aut enim idem est quod sepultum esse, Psal. 16. 10. *Non derelinquens animam meam apud inferos*, (vel *in sepulchro*) Aut idem est, quod in summos cruciatus & angores incidere, 1 Sam. 2. 6. *Jehova deducit ad inferos* (vel *in sepulchrum*) *& educit*. Psal. 8. 6. *Dolores inferni* (*sepulchri*) *circumdederunt me*. Aut statum eorum designat, qui à morte oppressi & absorpti sunt, Psal. 49. 15. *Tanquam pecudes in inferno* (*sepulchro*) *di posiuit, mors depascet eos*. Vide Es. 14. 11. & seqq. Prima expositio in quarto Symboli articulo locum non habet; non enim verisimile est, in tam brevi fidei compendio παυτολογίαν committi, & planius per obscurius declarari. Insecundatantum ὑστερολογίας incommodum obstare videtur, quod demum post mortem summa illa Christi tristitia & animi angores memorentur. Sed rem planam facit Calvinus, ostendens, non temporis, sed rerum ordinem observari: sic, ut articuli illius duo sint membra, prius de corporis, posterius de internis animæ cruciatibus. Tertiam expositionem qui tenent, ordinem cumprimis urgent, tum quod detentio Christi in sepulchro, ultimus sit humiliationis gradus; tum, quia hac ratione perpessionibus Christi

ſti lætè reſpondeant exaltationis gradus, nempe, Morti Reſurrectio, Sepulturæ Aſcenſio in cœlum, & Deſcenſui ad inferos, Seſſio ad dextram Patris. Ut autem hæc ſententia non improbatur, ità prior non temere rejicienda eſt. Imprimis non contentioſè hac de re diſputandum videtur, cum particula, *De deſcenſu Chriſti ad inferos*, non ſemper quarto articulo fuerit adjecta, ut teſtatur Symbolum Nicænum & alia quam plurima. *Modo hoc firmum maneat*, nec ſpirituales illas animæ paſſiones, nec triduanam illam detentionem Chriſti in ſepulchro, à Chriſti perpeſſionibus ſeparari debere.

XVIII. *Formam ſeu modum Paſſionis Chriſti quod attinet, paſſus eſt,* 1. *Verè.* 2. *Sanctè et innocenter.* 3. *Voluntariè.*

Probe hæc tria tenenda ſunt; niſi enim verè paſſus eſſet, pro peccatis noſtris non ſatisfactum eſſet. Niſi ſanctè et innocenter paſſus eſſet, non perfectum haberemus Pontificem, Heb. 7. 26. Niſi denique voluntariè ſe maledictioni ſubjeciſſet, coactum fuiſſet ejus ſacrificium. Hinc ait, Hebr. 10. 7. *Ecce adſum, ut faciam Deus voluntatem tuam.*

XIX. *Finis paſſionis Chriſti generalis, eſt Dei Gloria, et imprimis* Pateſactio *Iræ Dei adverſus peccata, Juſtitiæ item et Miſericordiæ. Nec non Demonſtratio divinæ et humanæ naturæ. Specialis vero et proprius, eſt Satisfactio pro peccatis noſtris.*

XX. *In fine et uſu cujuſque ſpecialis perpeſſionis ratio habenda eſt analogiæ, qua expiatio cum peccatis et paſſio cum pœna alioquin nobis perſolvenda comparetur.*

Exempli

Exempli gratiâ: Gravissimos dolores in anima, & in corpore sustinuit, tum ut peccata animæ & corporis expiarentur, tum ut à doloribus spiritualibus & corporalibus, æternum alioquin nobis sustinendis, nos liberaret. Mortuus est genere mortis exsecrabili, crucis nimirum, partim ut expiaret peccata, quibus exsecrationem promeriti eramus, partim ut exsecratione illa ac damnatione nos sublevaret. Sepultus est, ut testaretur, peccata nostra secum sepulta esse, & ut sepulchra, quibus velut carceribus ad judicii horrendi diem includendi eramus, sanctificaret in κοιμητήρια Triduana in sepulchro detentio docet, promeritos esse nos peccatis nostris ut æternum mors nobis dominaretur, nisi ignominiosa ejus detentio pro hac quoque pœna satisfecisset.

XXI. *Annihilant Passionis Christi finem et fructum qui ideò tantum passum esse dicunt, ut nobis exemplo præiret.*

Verum quidem est, Christum patiendo nobis exemplum reliquisse: primarius tamen passionis fructus, est satisfactio pro peccatis nostris. Sociniani Christum hactenus tantum Servatorem agnoscunt: 1. Quod veritatem cœlestem annunciet. 2. Quod eandem confirmet. 3. Quod Passionis & Resurrectionis exemplo præeat. 4. Quod vitam æternam tandem conferat. Ubi urgentur Scripturæ dicta, quæ testantur, Christum pro nobis mortuum esse, eludere illa conantur, explicando particulam *pro* per *propter*, ut sensus sit, mortuum esse pro nobis, h. e. propter nos, nostro bono, non autem nostro loco. Verum pestilentissimam hanc hæresin sequentia argumenta refellunt. 1. Quia sic pro nobis mortuus est, ut animam suam dederit λύτρον ἀντὶ πολλῶν, *pretium Redemtionis pro multis*, Matth. 20. 28. Ut seipsum dederit ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, 1. Tim. 2. 6. Ut sanguine suo pretioso nos rede-

redemisse dicatur, 1 Pet. 1. 18, 19. Ἐλυτρώθητε inquit, *redemti estis*. Iam verò, quis ignorat, aliud esse, exemplo ad salutem seu liberationem præire; aliud verò, λύτρον pro aliquo solvere? Qui enim non pro mancipio & ejus loco satisfaciat, qui λύτρῳ illum redimit? 2. Quia sic pro nobis mortuus est, ut peccatum pro nobis factus sit, 2. Cor. 5. 21. Ut peccata nostra in se susceperit, et pœnas peccatis nostris debitas ipse tulerit, Esai. 53. 4. An vero alterius delictum in se suscipere, & pœnam ab ipso promeritam ferre, est tantum exemplo præire, & non loco ejus puniri ac satisfacere? 3. Si sacrificia Veteris Testamenti à Sacerdotibus populi loco oblata sunt; tum Christi quoque sacrificium nostro loco præstitum est. Prius verum est. Ergo & posterius. Asserunt audacter, non dari exemplum in Scripturis, ubi particula *pro* sit idem quod *loco alterius*. At quis non videt hoc in sequentibus? Ioan. 10. 11. *Bonus Pastor animam suam deponit pro ovibus suis?* utique ad mortem usque loco ovium pugnando. Rom. 5. 7. *Vix pro justo quisquam moriatur*, Rom. 8. 26. *Spiritus intercedit pro nobis*, et vers. 31. *Si Deus pro nobis; quis contra nos?* et 9. v. 3. *Optarim ego ipse anathema esse à Christo, pro fratribus meis, &c.* Neque verò ideò non sufficiens λύτρον est Christi passio, quòd pœna peccatis nostris debita sit æterna, passio verò Christi non sit æterna. Etsi enim tempore non æterna sit, æquivalens tamen est pœnæ æternæ: tum propter infinitam majestatem et dignitatem personæ Christi: tum propter infinitum pondus et magnitudinem passionis, et oneris iræ divinæ, cui totus Mundus omnesque creaturæ ferendo impares fuissent.

XXII. *Evertunt eandem Christi satisfactionem Papani, alios Sacerdotes constituentes, et missam idololatricam pro sacrificio obtrudentes.*

Re-

Refelluntur firmissimis rationibus. I. *Quia unus Mediator est.* 1 Tim. 2.5. II. *Quia* de uno tantum Sacerdote Paulus loquitur, Heb.7.26. *Talis nos decebat Pontifex.* III. Quia una oblatio facta esse dicitur, He.7.27. *Id enim fecit semel.* et v.27. *Non ut sæpe seipsum offerat,* et 10.10. *Per oblationem seu elfactam.* et v.14. *Unicâ oblatione consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur.* v.18. *Ubi peccatorum remissio, non est amplius oblatio pro peccatis.* IV. Si ideo abrogatù fuit sacerdotium Veteris Testamenti, quia Sacerdotes pr stinj ἄνθρωποι fuerunt: tum nemo nisi Filius Dei in N. T. Sacerdos idoneus existit, He.7.28. *Lex homines Pontifices constituit, at Sermo juris jurandi Filium.* Excipiunt. Christum primarium Sacerdotem esse, ipsos secundarios et hac in parte Christi instrumenta. Vertu n aut illud ipsum Sacrificium offerunt, quod Christus in cruce, aut aliud. Si aliud offerunt, ex superioribus rationibus non est idoneum: si idem, sequuntur hæc absurda. 1. Christum ipsum pro se ipso offerre, quia et illi pro seipsis offerunt. Idem enim faciet primarius Sacerdos et secundarius, quamvis alio modo. 2. Ipsos se carnifici us, qui Christum cruci affixerunt, accensere 3. Cum idem sit Sacerdos et victima hujus sacrificii: ipsi, minimum secundario, erunt victimæ. Non majoris momenti est distinctio sacrificii cruenti et incruenti. Sic enim contra superiora testimonia, non unicum esset sacrificium, et sacrificio incruento remissio peccatorum impetraretur, quod apertè negat Apostolus, ad Heb. 9. 12.

XXIII. *Ut autem prædictis erroribus, plurimum Passioni Christi detrahitur, ità latius quàm par est extendunt eius obiectum, qui Christum pro omnibus et singulis hominibus mortuum esse docent.*

Enim vero si meriti et magnitudinem et dignitatem spectemus, tantam esse fatemur, ut decem mundis redimendis sufficeret: si vero ad Dei consilium ac Christi intentionem respiciamus, falsum est Christum

strum pro omnibus et singulis mortuum esse. Hinc ab aliis, pro omnibus mortuus esse dicitur sufficienter, sed non efficaciter: id est, sufficiens esse meritum Christi pro omnibus, ratione dignitatis suæ, sed non efficax in omnibus ratione applicationis, cum non ea intentione mortuus sit Christus, ut mors ejus omnibus applicaretur. Qui enim pro iis moreretur, pro quibus non oravit; Atqui testatur, se pro Mundo non orare, Ioan. 17. 9. Urgent Adversarii loca quibus Mundi etiam totius, omnium item hominum fit mentio, 1. Tim. 2. 4. & 1 Joan. 2. 2. Quibus item generaliter omnes vocantur. Verum, 1 Joan. 2. 2. *totius Mundi* nomine, metonymicè *Electi in toto Mundo dispersi*, et 1 Timoth. 2. 4. per *omnes homines*, ut sequentia verba docent, quivis homines, seu Ethnici, seu Judæi, seu Reges, seu privati illi sint, adeoque non singula generum, sed genera singulorum, intelliguntur. Quo sensu vox *omnis* sumitur, Gen. 6. 19. Ioel. 2. 28.

Perfecta justitia altera satisfactionis Christi pars est quam conformitate suâ cum Lege, & perfecta obedientiâ eidem præstita, nobis acquisivit ut hæredes essemus vitæ æternæ.

Estque hæc justitia partim originalis, partim actualis.

Originalis est conformitas Christi cum Lege, in qua conceptus & natus est.

CANONES.

I. *Originalis justitia peccato originali opponitur.*

II. *Hæcque non tantùm innocentia seu immunitas est à peccato, sed & aptitudo ac inclinatio ad bonum.*

Sicut peccatum originale non tantum est privatio justitiæ, sed ad malum quoque inclinatio.

III. *Originalis Christi justitia pars quoque est Satisfactionis pro nobis præstitæ.*

Ratio I. Quia Lex non tantum actualem obedientiam, sed et omnimodam cum Lege conformitatem requirit; secus enim lues originalis peccatum non esset. II. Quia Christus totus noster est, et quicquid factus est, fecit et fuit, id nostro loco factus est, fecit et fuit.

Actualis justitia, est obedientia, quâ Christus Legem actu ipso perfectissimè implevit. Atque hæc *activa* in Scholis *obedientia* nominatur.

CANONES.

I. *Sicut Passio Christi necessaria est ad peccatorum expiationem, ita activa quoque ejus obedientia & justitia ad vitam æternam impetrandam.*

Ratio I, Quia Lex nos & ad pœnam & ad obedientiam obligat. Ad pœnam, quia maledictum pronunciat, *Qui non omnia verba Legis præstiterit, Deut. 27. 26.* Ad obedientiam; quia Vitam iis tantum promittit, qui fecerint omnia, *Lev. 18. 5.*

Qui

Qui fecerit ea vivit in eis: & Luc. 10. 28. *Fac hæc, & vives*. Nec obstat distinctio justitiæ, in Legalem & Euangelicam: siquidem eandem justitiam, quam Lex efflagitat, Euangelium in Christo exhibet. II. Quia duplex hæc satisfactio, duplici miseriæ nostræ respondet: reatui videlicet peccati ac damnationis, & defectui justitiæ, Rom. 3. 23. *Omnes enim peccaverunt, ac deficiuntur gloriâ Dei*. III. Quia verò ac propriè dicta justitia in actuali obedientia consistit. Deut. 6. 25. *Justitia erit nobis, si observantes fecerimus omnia hæc præcepta coram Jehova*. IV. Quia actualem illam obedientiam aut pro se præstitit, aut nostro loco. Atqui non pro se. Ergo nostro loco. Assumptum manifestum ex relatione Christi ad nos. Quicquid enim in toto obedientiæ cursu fuit & egit, id nostro loco fuit & egit. Excipiunt hic, qui Passivam tantum obedientiam pro satisfactione & merito agnoscunt, activam obedientiam facere quidem ad nostri Redemtionem & Salutem, sed tantum ut necessarium requisitum & causam sine qua non; duabus enim de causis requiri à Christo. Primo creationis jure, secundò, ut gratum esset Deo sacrificium ejus, & ut sanctus esset Sacerdos. Verum prius istius sententiæ membrum falsum est; quia Christus hac in parte, cum aliis hominibus comparari nequit: ut enim Filius Dei non pro se, sed pro nobis, homo et creatura factus: ita non pro se, sed pro nobis Legi subjectus est. Posterius membrum confundit sanctitatem seu innocentiam cum obedientia seu actuali justitia, quæ non minus quàm privatio et habitus differunt. Innocentia quidem est sacrificii Christi requisitum: sed actualis obedientia non tantum requisitum Christi Sacerdotis est, sed & pars satisfactionis et meriti. Si enim actualis inobedientia Adami causa est meritoria damnationis, quidni obedientia actualis alterius Adami causa erit meritoria salutis? Nisi potentiorem dicere velimus Adamum priorem ad damnandum, quàm posteriorem ad servandum.

A. R. Christus idcirco legi subditus erat, 1. ut nos liberaret à maledictione legis. 2. ut Judæis calumniandi occasionem omnem præriperet. 3. ut ostenderet se esse finem legis. 4. ut exemplo suo nos ad ejusdem observationem perpelleret atque invitaret.

II. *Mandatum Patris, cui obedivit Christus, speciale & generale fuit. Speciale, respectu finis, ut non pro se, sed pro nobis obediret. Generale verò, respectu objecti; eidem enim Legi subjectus fuit, quæ nobis præscripta est, & in omnibus, ad quæ Lex nos obstrinxit.*

Qui volunt passivam tantum obedientiam Christi meriti rationem habere, prætendunt Christi obedientiam tantum speciali Patris mandato præstitam esse, ut pro nobis moreretur. At verò hoc non speciale, sed partiale tantum foret mandatum; quàmlatè enim se Lex extendit, tam latè quoque Christi obedientia. Cum igitur Lex & ad pœnam & ad obedientiam nos obliget, utriq; eius requisito satisfecit.

III. *Vita æterna aut in se consideratur, quatenus est plenissima gaudiorum cœlestium participatio: aut oppositè ad damnationem, quatenus est liberatio à damnatione. In priori sensu, vitæ æternæ causa est perfecta Christi justitia: in posteriori verò, vitæ æternæ causa est pœnarum persolutio.*

Aliud est, vitam æternam privativè tantùm, aliud positivè describere. Proprie loquendo, vitæ æternæ causa nulla alia est, quam perfecta justitia, juxta Legem; *Fac hæc, & vives*. Mors tamen Christi vitæ æternæ causa dicitur, quatenus illa est ab omni malo liberatio. Neque liberatio à damnatione, & gaudium cœleste, partes sunt vitæ sed diversæ tantum relationes. Apparet hinc, quo sensu Christus promittat se carnem suam daturum *pro Mundi vita*,

vita, Joan. 5. 61. Duo hic objiciuntur: I. Si Christi activa obedientia causa sit vitæ æternæ, tum frustra passum esse. II. Si Christus obediverit pro nobis, tum nobis non fore obediendum. At in primo argumento nulla est consequentia; alius est enim finis utrique satisfactionis parti communis, nempe Salus nostra; alius cuique proprius: Passionis enim finis est liberatio à pœna; Iustitiæ verò finis est acquisitio juris vitæ æternæ. Posterius argumentum contra activæ obedientiæ meritum, tale est, quale Socinus format contra meritum obedientiæ passivæ. *Si Christus inquit nostro loco mortuus est, tum nobis non forei obediendum.* At utrobiq; nulla est consequentia. Alia Christi, alia piorum mors est: illa cum exsecratione conjuncta; hæc cum benedictione. *Illam* subiit Christus tanquam stipendium nostrorum peccatorum; hanc subimus, ut transitum ex hâc vita in cœlestem. Sic alia Christi, alia nostra est obedientia; illa perfecta justitia est, quam nostro loco, & vitæ promerendæ causâ præstitit; hæc vero imperfecta est, & gratitudinis pro redemtione testificandæ causâ præstatur.

IV. *Justitia Christi activa in Veteri Testamento summi Sacerdotis ornatu, propemodum Regio tanquam typo adumbrata fuit.*

Quærunt, qui activæ obedientiæ meritum negant, quo typo illa adumbrata fuerit? Si enim, inquiunt pars est officii Sacerdotalis, qua in re summus Sacerdos eius typum gessit; At quorsum splendidissimus ille Sacerdotis ornatus, quo coram Deo comparuit nisi ut vestis iustitiæ Christi esset umbra? Hinc legimus, Sacerdoti Jehoscuæ non tantum vestes sordidas in signum peccatorum translatorum detractas, sed novas insuper ei datas, ac Cidarim velut coronam impositam fuisse, Zach. 3. v. 4. 5.

Tantum de satisfactione Christi. Intercessio ejus in statu humiliationis est, quâ Christus deprecationes & supplicationes non sine gemitibus & lachrymis apud Patrem pro nobis obtulit.

Exemplis plena est historia Evangelica, quæ Christum etiam integras noctes precando transegisse testatur. Imprimis autem munere hoc functus est Passionis suæ tempore, Joan. 17. & Heb. 5. 7. *Qui in diebus carnis suæ deprecationes & supplicationes apud eum, qui ipsum servare poterat à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulit.*

CANONES.

Christi intercessionem annihilant, qui alios præter ipsum Mediatores intercessionis, ut vocant, quærunt.

Pontificii distinguunt inter Mediatorem Redemtionis et Mediatores Intercessionis. Atque posterius hoc officium Sanctis demortuis tribuunt. Verùm non minore sacrilegio intercessionem cum secundariis intercessoribus, quàm sacrificium ejus cum secundariis Sacerdotibus communicant. Et cùm non tantum intercessione, sed etiam meritis, Sanctos nobis prodesse fingant, corruit ipsorum distinctio: siquidem redemtionis quoque gloriam inter Christum et Sanctos dividunt: dum ipsorum meritis velut succedaneâ ope nostrorum peccatorum sordes purgari, defectumque suppleri fingunt.

Hactenus de Sacerdotali officio. Regium officium in humiliationis statu administravit, Ecclesiam Verbo & Spiritu sic congregando & conservando, ut nihil externæ Regiæ Magistratis in ipso apparuerit.

CANONES.

CANONES.

Falsò Iudæi corporale & terrenum Messiæ Regnum somniant.

Esa. 42. 2. *Non vociferabitur, neque attollet se, neque faciet ut audiatur foris vox sua,* & 53. 2, 3. *Assurgit ut tenera planta coram illo, & tanquam radix è terra solitaria: non est forma ei, neque decor; & quando intuemur eum, non est aspectus cur desideremus eum. Contemtum & abjectissimum virorum, doloribus affectum, & familiaris morbo, & velut homo abscondens faciem à nobis, contemtus ità, ut non æstimemus illum.* Zac. 9. 9. *Ecce Rex tuus adveniet tibi justus & salvator præditus est; pauper est insidens asino,* &c.

CAPUT. XIX.

In quo

De Christi Mediatoris Exaltatione.

SIc actum de Exinanitionis statu. Exaltationis status est, quo Christus è mortuis suscitatus, in cœlum sublatus, ad dextram Dei patris exaltatus, & ad summam gloriam evectus est.

CANONES.

I. *Causa exaltationis hujus efficiens, est tota SS. Trinitas.*

II. *Filius tamen Dei, κατ' οἰκονομίαν consideratus, ejus est objectum.*

III. *Competit autem exaltatio personæ Christi Θεανθρώπε secundùm utramque naturam.*

IV. *Secundùm humanam naturam exaltatus est, depositione infirmitatum, quas assumserat, & impetratione donorum, quæ priùs non habuerat; corporis enim & animæ tantam perfectionem assequutus est, quantam creatura capere potest, maximam.*

V. *Secundùm divinam naturam exaltatus est non dignitatis alicuius ad eam κατ' ἐξουσίαν considerationem accessione, sed Majestatis ejus, quæ priùs sub servi forma occultata erat, patefactione.*

VI. *Exaltationem hanc Christus consequutus est obedientiâ suâ, non tanquam merito, sed tanquam viâ & medio.*

A. R. Christus hic dicitur *exaltationem hanc suam consecutus obedientiâ suâ, non tanquam merito.* 1. Nihil certius quàm Christum, quâ Deus est, non posse promereri: unde enim? Neque vero, 2. gratiam unionis hypostaticæ promeruit, quatenus homo erat; erat enim istuc infinitè majus quàm ut meritis consequi possit vel homo vel etiam Angelus quispiam. Neque, 3. inter conceptionem actu ullo liberi arbitrii meritus est plenitudinem illam gratiæ atque scientiæ, quâ instructus erat atque imbutus? Neque, 4. promeruit quicquam, quod non ipsi debitum erat respectu unionis hypostaticæ. At verò illud inficiari nefas, quod promeruerit quicquid in eum honoris collatum fuit ante mortem ipsius, uti & Exaltationem ipsius postquam resurrexisset: hoc enim disertis verbis ostendit Apostolus, quod quoniam se humiliaverit, & obediens facturus fuerit usque ad mortem, mortem scilicet crucis, idcirco Deus eum exaltaverit, extulerit, evexerit.

evexerit. Philip. 2. 9, 10, 11. *de torrente in viâ bibet, propterea exaltabit caput.* Hâc de causâ Augustinus in Joan: tract: 104. appellat humilitatem Christi meritum gloriæ ipsius, & gloriam mercedem humilitatis ipsius. Christus ergo hanc gloriam consecutus est ex debito, tum ratione personalis unionis, tum ratione meriti: quid enim prohibet, quo minus aliquid duplici de causâ debeatur?

VII. *Finis ejus est testificatio, quod munere à patre injuncto, in exinanitionis statu probè defunctus sit: & patefactio potentiæ divinæ, quâ mortuum nobis efficaciter applicat.*

Partes seu gradus ejus tres sunt: Resurrectio, Ascensio in cœlum, & Sessio ad dextram Dei Patris.

Resurrectio, est primus exaltationis gradus, quo Christus, mortis imperio superato, tertio die in ea ipsa carne quam deposuerat, suscitatus est, ut Deo vivat æternum.

CANONES.

I. *Christus non objectum tantum, sed causa efficiens est Resurrectionis suæ.*

Rom. 1. 4. *Declarato Filio Dei potenter secundum Spiritum Sanctitatis per Resurrectionem ex mortuis,* 1 Pet. 3. 8. *Morte quidem affectus carne, vivificatus autem Spiritu.*

II. *Materia Resuscitationis, est idem corpus, quod crucifixum erat; qualitatibus tamen novis donatum & glorificatum.*

III. Nec

III. *Nec tamen, ita mutatum est, ut quantitatem et trinam dimensionem habere desierit.*

Secus nec corpus esset, nec Christus post exaltationem homo mansisset.

IV. *Forma in nova & indivisibili unione corporis & animæ consistit.*

V. *Etsi miraculosa planè sit Christi Resurrectio, falsò tamen, corpore suo saxum sepulchro obditum, aut post Resurrectionem clausas januas penetrâsse dicitur.*

Matth. 28 2. *Angelus Domini devolvit lapidem,* Ioan. 20. 19. Τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *Clausis januis,* non per clausas januas.

VI. *Finis Resurrectionis præter generalem suprà dictum, est certitudo nostræ quoque Resurrectionis cùm à morte peccati, tum à morte corporali.*

Rom. 6. 1, 2, 3, &c. 1 Cor. 15. 12, &c.

Ascensio in cœlum, est secundus Exaltationis gradus, quo Christus quadraginta diebus à Resurrectione, in terra versatus, in cœlum ascendit.

CANONE 9.

CANONES.

I. *Ascendit Christus secundum divinam & humanam naturam: secundùm humanam, tanquam objectum: secundum divinam, tanquam causam efficientem.*

II. *Forma in reali & locali translatione Christi ex hoc mundo, in supremum usque cœlum translatione consistit.*

III. *De penetratione corporum hac in parte non anxiè laborandum tum, quia cœlum non solidum, spissum, aut chalybeum corpus est, ut finxerunt Philosophi; tum quia corpus corpori, imò Creatura Creatori facilè cedere potuit.*

IV. *Doctrina de corporali Christi in terra præsentia, Ascensionem Christi penitus evertit.*

V. *Finis Ascensionis Christi specialis, est certificatio nostræ quoque ascensionis triplicis. Prima fidei est & pietatis in hac vita. Secunda animæ in morte. Tertia corporis & animæ in die novissimo.*

Sessio Christi ad dextram Dei patris, est summus ille exaltationis gradus, quo in cœlum collocatus, supra omnem potestatem evectus est.

Ephes. 1. 20, 21, 22. *Collocavit eum ad dextram suam in cœlis, longè supra omne imperium ac autoritatem, & potestatem, & dominatum, & omne nomen quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit pedibus, eumque constituit caput super omnia ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius & complementum ejus, qui omnia implet in omnibus.*

CANONES.

I. *Ad dextram Dei ſedere, eſt proximam poſt Deum poteſtatem habere.*

Ex Regum more, qui eos, quibus præcipuum poſt ſe honorem tribui volunt, ad dextram ſuam collocant, Pſalm. 45. 10. *Collatata eſt conjux ad dexteram tuam.* 1. Reg. 2. 19. *Itaque cum veniſſet Bathſeba ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adonija, Aſſurgens Rex obviam ei, incurvavit ſe, & ſedens in ſolio ſuo apponi juſſit ſolium matri Regis, quæ ſedit ad dextram eius,* Matth. 20. 21. *Dic, ut ſedeant iſti duo filii mei, unus ad dextram tuam, & alter ad ſiniſtram, in Regno tuo.*

II. *Chriſtus ut Θεάνθρωπος, hoc eſt, ſecundum utramque naturam, ſedet ad dextram Dei.*

III. *Sic tamen natura humana eſt exaltata, ut divinæ non ſit exequata. Gloriam accepit omnibus creaturis maiorem, ſed gloriæ eſſentiali, quam cum Patre & Spiritu ſancto communem habet, minimè æqualem.*

IV. In hoc ſummo exaltationis gradu, officio ſuo fungi Chriſtus non deſiit.

Prophetico quidem, Miniſtros donis, olim extraordinariè, per Spiritus ſancti effuſionem, nunc verò ordinariis mediis inſtruendo, Euangeliúmque per totum terrarum orbem, auguſtiſſimo cum ſucceſſu, propagando.

Eph. 4. 11. *Dedit alios quidem, Apoſtolos, &c.*

Sacerdotali verò; non ſe ipſum iterum offerendo, aut cum ſuſpiriis & lachrymis ad Patris genua

ſe

se provolvendo: sed cum satisfactionis pleniſſimæ meritis, coram Patre pro nobis comparendo, eámque nobis efficaciter applicando.

Pſal. 110. 4. *Iuravit Iehova, non pœnitebit eum, tu Sacerdos es in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec.* Heb. 9. 24. *Non in manufactum ſacrarium ingreſſus eſt Chriſtus, quod ſit exemplar vero ſacrario reſpondens; ſed in ipſum cœlum ut compareat nunc apud faciem Dei pro nobis.*

Regio deniq; non ſolum triumphanti Eccleſiæ præſidendo, ſed militantem quoq; congregando, conſervando, protegendo, hoſteſq; debellando.

Pſal. 110. 1. *Dixit Iehova Domino meo ſede ad dextram meam, donec diſpoſuero inimicos tuos in ſcabellum pedum tuorum.*

CANONES.

1. *Regnum hoc Chriſti, non eſt eſſentiale illud, quod ab æterno cum Patre & Spiritu ſancto obtinet; ſed perſonale, donativum & œcumenicum, quod tanquam Caput noſtrum & Mediator à Patre accepit.*

11. *Regnum tamen hoc œcumenicum in æternum adminiſtrabit.*

2 Sam. 7. 16. *Solium tuum erit ſtabile uſque in ſeculum.* Daniel. 7. 14. *Cujus dominatus dominatus eſt perpetuus, qui non præterit.* Lucæ. 1. 33. *Regni ejus non erit finis.* His dictis non obſtant Patris ad Chriſtum verba, *Donec poſuero inimicos tuos, &c.* Non enim ſenſus eſt, Chriſtum poſt ultimum adventum, non amplius regnaturum: ſed hoc ſaltem indicat futurum, ut omnes hoſtes ſuos vincat. Particula enim illa, *donec, uſque dum*, & ſimiles, non ſunt excluſivæ temporis futuri, ſed de illo quoque negant & affirmant, ſæpeque idem ſignificant quod

quod *nunquam non*, aut *nunquam*. e. g. Gen. 28. 15. *non deseram te, usque dum Perfecero quæ eloquutus sum tibi.* 2 Sam. 6. 23. *Michali non fuit proles in diem usque mortis suæ*, Matth. 2. 25. *Non cognovit eam, donec peperisset primogenitum suum.* Matth. 28. 20. *Ecce ego vobiscum usque ad consummationem seculi.* Nec officit, *quod regnum Patri traditurus, seque Patri subjecturus dicitur, ut Deus sit omnia in omnibus*, 1 Cor. 15. 24, 28. Regni enim traditio Apostolo non est officii Regii abdicatio: sed per *Regnum* illic intelligitur, phrasi Scripturæ familiarissimâ, Ecclesia. Tradet igitur Patri Regnum, quando ipsi totam Ecclesiam sistet, subjectio verò illa non tollet Regnum, Christi; cum enim Christus qua Mediator, etiam in gloria Patri subordinatus sit, sic erit & manebit Christus Rex noster, ut tamen unà nobiscum, Patri se sit subjecturus. At verò, dices, jam antea Patri subjectus est. Verum id quidem, sed non simpliciter; nunc enim caput cum Ecclesia, sed non tota subjicitur, tum autem unà cum omnibus Ecclesiæ membris, adeoque totus Christus mysticus Patri subjicietur. Quod denique *Deus omnia in omnibus futurus* dicitur, non ita accipiendum, acsi non hodiéque omnia in omnibus esset, aut tum demum regnaturus esset: sed dicitur hoc more Scripturæ, quo sæpe fieri aliquid pronunciatur, cùm declaratur esse: sententia igitur est, Cùm hoc in Mundo Regnum Dei ab hostibus infestetur, ac obscuretur, devictis tandem hostibus, manifestissimum futurum, quod Regnum in solidum sit Dei & Christi ejus.

CAPUT,

CAPUT. XX.

In quo

De communi ad ſtatum gratia vocatione.

HActenus de Redemtore Chriſto, qui cauſa efficiens eſt ſtatûs gratiæ. Vocatio ad eundem ſequitur.

Eſt autem hæc communis electis & reprobis, aut propria electis.

Communis Vocatio eſt, quâ ad ſtatum gratiæ ſeu participationem Chriſti Mediatoris quivis homines invitantur.

Appellatur etiam Electio totius populi alicujus, Deut. 7. 6. *Populus ſanctus es Iehovæ Deo tuo; te ſelegit Iehova Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris, &c.*

CANONES.

I. *Vt electio, ità vocatio; alia eſt ad officium, alia verò ad ſalutem; atque poſterior hujus eſt conſiderationis.*

Electionis et vocationis ad officium, exemplum eſt in Saule, 1 Sa. 10. 24. *Videtiſne, quem elegit Iehova?*

II. *Cauſa efficiens hujus vocationis, communiter eſt tota* SS. *Trinitas: ſingulariter verò Chriſtus Dominus, qui ut diebus Miniſterii ſui in his terris peccatores immediatè quoque, ita nunc mediantibus Miniſtris vocat.*

Matth.

Matth. 22. 2, 3. *Simile est Regnum cœlorum cuidam Regi, qui fecit nuptias filio suo & misit servos suos qui vocarent vocatos ad nuptias, &c.* Mar. 1. 14, 15. *Venit Iesus in Galilæam, prædicans Evangelium Regni Dei, & dicens Expletum est tempus & adpropinquavit Regnum Dei: resipiscite & credite Evangelio.* 2 Corinth. 5. 20. *Itaque nomine Christi legatione fungimur.*

III. *Materia vocationis hujus nec omnes homines; nec electi tantum sunt, sed quivis ex toto genere humano.*

Non omnes vocari, testatur tota Veteris Testamenti historia; ejus enim tempore Deus, præteritis aliis Gentibus, populum Israeliticum vocavit. Sed & Novi Testamenti tempore, non omnes & singuli vocantur: liquidem permulti De Christo Domino nihil unquam audiverunt.

Non electos tantum vocari, testatur luculenter Christi parabola, quâ *boni & mali* invitati, multi item vocati, pauci verò electi dicuntur, Matth. 22. vers. 10. & 14. Vocantur autem quivis homines, id est, cujuscunque status, conditionis, ætatis, &c.

IV. *Forma vocationis hujus partim in oblatione beneficii Redemptionis, partim in præcepto de ejus acceptatione consistit.*

2 Cor. 5. 20. *Itaque nomine Christi legatione fungimur, & velut Deo vos precante per nos, rogamus Christi nomine, reconciliamini Deo. Fecit enim ut quæ peccatum non noverat, pro nobis peccatum esset, ut nos efficeremur justitia Dei in eo.*

V. *Finis eius, est Dei gloria & electorum salus. Asseritur autem tum gloria misericordiæ, in electis vocationi obtemperantibus, tum gloria justitiæ in reprobis inobedientibus.*

VI. *Ve-*

VI. *Vocatio igitur communis primariò propter electos fit: secundariò propter reprobos.*

VII *Utrosq; tamen serio & ἀνυποκρίτως vocat.*

De electis dubium nullum est. Reprobos quod attinet, etsi non vocentur κατὰ τὴν πρόθεσιν seu servandi proposito, serio tamen vocantur, serio salus ipsis promittitur sub conditione fidei. Nec ideò illis illuditur, quod gratia credendi destituantur, sed quia gratia primæva sua sponte exciderunt, & spontanea quoque malitiâ salutis media aspernantur. Deus fidem nihilominus ab ipsis exigendi jus habet, eodémque non minùs quàm alii creditores iuste utitur, ut os ipsis obturetur, inexcusabiles reddantur, Deique iustitia asseratur. Non igitur ideo eos vocat ut illis illudat, sed ut iustitiam suam declaret ac patefaciat.

VIII. *Ex vocatione itaque communi non statim electio concluditur: tum quia reprobis & electis contingit, tum quia fit sub conditione fidei.*

Etsi etiam integra gens electa dicatur, non tamen ideo omnes in illa gente sunt electi. Sicut populus Judaicus electus dicitur, cum tamen plurimi Iudæi fuerint reprobi.

IX. *Nec ideo omnes sunt electi, quia jubentur credere se esse electos: non enim id absolutè jubentur credere, sed cum exploratione fidei.*

1 Cor. 13. 5. *Vos ipsos tentate, an sitis in fide, vos ipsos probate. Annon agnoscitis vosmetipsos, Iesum Christum in vobis esse? nisi rejectanei sitis. At spero fore, ut cognoscatis, vos non esse rejectaneos.*

CAPUT

CAPUT. XXI.

In quo

De Fœdere Gratiæ.

VOcationis fructus & beneficium, est externa tum fœderis gratiæ, tum Ecclesiæ communio.

Externa fœderis gratiæ communio est, quâ Vocati pro fœderatis & Dei populo censentur.

Analogicè tamen, sicut alii Dei populus sunt in rei veritate, alii externâ tantum professione.

Fœderis gratiæ tum oblatio, tum obsignatio spectanda.

Oblatio fœderis gratiæ est, quâ Deus Vocatis promittit, se ipsis in Christo Patrem fore, si filiale præstiterint obedientiam.

CANONES.

I. Fœderis *nomine non generale illud intelligitur, quod pepigit Deus cum universis creaturis, nec fœdus operum cum primis nostris parentibus initum: sed quod post lapsum, Deus ex mera sua misericordia nobiscum percussit.*

II. *Ideo Fœdus gratiæ, & Testamentum,* Διαθήκη, *Dispositio nominatur; quia hac Deus filiis suis cœlestem hæreditatem destinat, morte Jesu Christi Filii sui interveniente, consequendam.*

Heb.

Heb. 8. 10. Ὅτι αὕτη ἡ διαθήκη, ἣν διαθήσομαι *Quamobrem hoc est fœdus, quod paciscar, &c.* & c. 9. 15, 16. *Itaque ob id novi fœderis Mediator est, ut morte ad redemtionem earum transgressionum intercedente quæ fuerant sub priore pacto qui vocati erant promissam æternam hæreditatem acciperent. Nam ubi Testamentum est, mors intercedat, necesse est, testatoris.*

III. *Causa ejus efficiens communiter est tota SS. Trinitas, singulariter verò Christus Θεάνθρωπος & Angelus ille fœderis.*

Malac. 3. 1. *Ecce ego mittam Angelum meum,* (Ioan. Bapt.) *qui expediat viam meam ante me & repente veniet in Templum suum, Dominus quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quem vos delectamini.*

IV. *Materia fœderis gratiæ, sunt pacta utriusque partis, Dei & hominis. Deus promittit se Deum nostrum fore in Christo Domino: Homo repromittit obedientiam fidei & vitæ.*

V. *Forma in mutua obligatione consistit. Sic tamen, ut sint relata disquiparantia; Dei enim promissio & obligatio est gratuita; hominis verò debita & juris existit.*

VI. *Finis oblati Fœderis idem est, qui Vocationis communis, Dei gloria & Electorum salus.*

VII. *Subiectum seu objectum fœderis oblati, sunt omnes Vocati, propriè tamen soli Electi.*

Omnibus quidem vocatis hoc fœdus offertur, verùm soli Electi fœderis promissionibus fruuntur.

VIII. *Ex Adjunctis spectanda est fœderis gratiæ administratio.*

IX. *Ad.*

IX. *Administratio hæc temporis respectu distinguitur, in Vetus, & Novum Fœdus seu Testamentum.*

X. *Vetus Testamentum, est fœdus gratiæ, administratum tempore Christi exhibendi.*

XI. *Huius administrationis triplex forma fuit. Prima ab Adamo ad Abrahamum. Secunda ab Abrahamo ad Mosen. Tertia à Mose ad Christum.*

XII. *Inter primam & secundam administrationis formam hoc interest: 1. Quod illa facta sit verbis promissionis, brevissimis illis quidem, sed luculentissimis; ista non promissionem tantùm sed expressam quoque obsequii conditionem habet. 2. Illa sacrificiorum tantum; ista etiam circumcisionis ritum habet. 3. Illa toti humano generi proposita fuit; hæc ad Abrahami posteritatem restricta est.*

XIII. *Inter tertiam vero & duas priores administrationis formas hoc est discriminis, quod tertia perfectior sit ac vere testamentaria, quippe non Paschatis tantum, sed quam plurimis aliis mortis Christi typis aucta.*

XIV. *Novum Testamentum, est fœdus gratiæ, quod administratur Christo iam exhibito.*

XV. *Conveniunt Novum & vetus Testamentum substantiâ; utrobique enim idem Testator Christus est: utrobique eadem promissio gratiæ in Christo: utrobique idem requisitum obedientiæ, fidei & vitæ.*

XVI. Er-

XVI. *Errant igitur, qui parallelas statuunt distinctiones Veteris & Novi Testamenti: Fœderis operum & Fœderis gratiæ; Legis & Euangelii; utrumque enim Testamentum seu Fœdus est gratiæ fœdus. Utrinque Lex & Euangelium urgetur.*

XVII. *Differt autem Veteris & Novi Testamenti administratio;* 1. Tempore, *quia Vetus Testamentum ante Christum exhibitum: Novum vero Christo iam exhibito administratur: illud ad Christum usque, istud semper durat.* 2. Loco seu amplitudine: *quia illud tantum populo Israelitico oblatum fuit; istud per totum terrarum orbem se extendit.* 3. Claritate: *quia promissiones gratuitæ de Christo clarius in Novo Testamento prædicantur & obsignantur; sublatis typorum & ceremoniarum umbris.* 4. Facilitate, *quia administratio in Veteri Testamento longè fuit operosior, quàm in Novo Testamento.* 5. Suavitate: *in Veteri enim Testamento frequentius urgetur perfecta Legis obedientia: non quidem exclusis promissionibus Euangelicis: eo tamen fine, ut rigorosa illa obedientiæ exactione tanquam pædagogo ad Christum quærendum compellerentur. In Novo vero Testamento frequentiores sunt Euangelicæ promissiones, non tamen exclusâ Lege, ad novam obedientiam ex regenerationis gratia præstandum, impellente.*

XVIII. *Patet igitur hinc, quo sensu Novum fœdus apud Jeremiam Veteri opponatur.*

Ier. 31. 31, 32. *Ecce dies venturi sunt, dicit* Iehovæ, *quibus pangam cum domo Israelis & cum domo*

domo Jehudæ fœdus novum. Non secundùm illud fœdus, quod pepigeram cum majoribus eorum, &c. & v. 33. *Hoc est fœdus meum: indam legem meam mentibus eorum, & cordi eorum inscribam.* & vers. 34. *Non docebunt amplius quisque amicum suum, &c.* & iterum, *Cognoscent me à minimo ad maximum.* In his verbis ad tertiam & quintam differentiam respicitur. Et ad hanc quidem dum Legis fit mentio tabulis olim lapideis inscriptæ, deinceps verò cordibus inscribendæ: ad illam verò, dum clariorem cognitionem promittit.

CAPUT. XXII.

In quo

De *Sigillis, seu de Sacramentis fœderis gratiæ in genere.*

OBlationem fœderis sequitur ejus obsignatio facta Sacramentis, tanquam Fœderis Gratiæ sigillis.

Sacramentum est actio sacra divinitus instituta, in qua gratia per Christum fœderatis promissa, à Deo visibilibus signis obsignatur, atque hi vicissim in ipsius obsequium adiguntur.

CANONES.

1. Sacramenti vox, *olim de juramento militari vel de pecunia à litigantibus pignoris loco depositâ intellecta, non incommodè in Ecclesia gratiæ signi applicatur.*

Sacra

Sacramentis enim, velut jurejurando, ad pacta fœderis servanda obstringimur; eadémque nobis pignora sunt gratiæ in fœdere promissæ.

II. *Appellatur quoque* mysterium, *quatenus hoc rem arcanam & divinam signis seu typis propositam significat. Latior tamen est vox* mysterii *quam* Sacramenti, *cum omne quidem Sacramentum sit mysterium, sed non omne mysterium sit Sacramentum.*

III. *Sacramentum propriè loquendo, pro integra actione tam signum quàm signatum complectente; Synecdochicè verò pro signo tantum sumitur.*

IV. *Priore modo sumtum jam definitum est. Posteriore modo intellectum, definitur, Visibile signum invisibilis gratiæ.*

V. *Causa efficiens princeps est communiter tota* SS. *Trinitas, singulariter verò Christus, Angelus ille Fœderis.*

VI. *Instrumenta quibus Sacramenta administrantur, sunt Ministri legitimè vocati.*

VII. *Instrumentum quo Sacramenta efficiuntur, seu, quo signa consecrantur, est Verbum Institutionis, duabus præcipuis constans partibus, præcepto de legitima Sacramenti administratione & perceptione, & promissione de ejus fructu & efficacia.*

VIII.

VIII. *Verbum Institutionis non substantiam aut qualitatem elementorum, sed usum tantum mutat: idque non Arcanâ quadam vi ipsis verbis inhærente, ut fingunt Pontificii, sed Dei ordinatione.*

Ut lapis Magistratus ordinatione mutatur in limitem, manente ejus substantia & qualitatibus: ità accedente Verbo (ut inquit Aug.) ad elementum, fit Sacramentum, manente Elementi substantiâ & qualitate. Mutato tantùm usu communi in sacrum.

IX. *Falso quoque docent; intentionem Ministri tum præcisè requiri, ut nisi hac adsit, nullum sit aut fiat Sacramentum.*

Nisi enim à Dei potius Institutione Sacramentum, quàm à Ministri intentione, pendeat, omnis consolatio eripietur miseris conscientiis, quibus ignotæ sunt Ministri, rem sacram administrantis, cogitationes.

X. *Ineptè quoque opponunt verbum concionale & Institutionis; non enim realiter, sed ratione tantum differunt, cum concio nihil aliud sit, quam Verbi explicatio. Verbum igitur institutionis ad Sacramenti essentiam; Verbum vero concionale ad modum administrandi pertinet.*

XI. *Materia Sacramenti externa & terrena, est visibile signum seu elementum.*

XII. *Materia interna & cœlestis, est res significata, Christus nimirum cum omnibus beneficiis.*

XIII. Forma

XIII. *Forma externa in legitima tum administratione, tum participatione Sacramenti juxta Dei mandatum, consistit.*

XIV. *Forma interna posita est in analogia signi & rei signatæ.*

XV. *Unio itaque signi & signati, non est φυσικὴ, seu localis, sed σχετικὴ, quatenus signum rem signatam repræsentat, & exhibito signo à Ministro, res quoque signata datur fidelibus à Christo.*

XVI. *Nec tamen præsentiam Christi, ejúsque corporis & sanguinis in actione sacramentali negamus; præterquam enim quod præsens sit divinâ sua persona & Spiritu suo S. præsens quoque est corpore & sanguine suo, non localiter, sed sacramentaliter* Vide infrà, pag. 133.

Præter localem præsentiam triplex alia datur: I. *Symbolica*; quando res menti humanæ repræsentatur symbolo aliquo: ut res verbo seu voce: homo imagine. II. Præsentia *spiritualis*: quando rem spiritualem, non præsentem, fide nobis repræsentamus, qualiter Abrahamus sibi præsentem fecit, & vidit diem Christi, Joan. 8. 56. III. *Præsentia virtutis*, quando quod loco distat, præsens est efficaciâ, ut Sol. Tres hi modi præsentiæ in Sacramentis concurrunt. Præsens enim nobis est corpus & sanguis Christi. 1. *Symbolice*, quatenus repræsentatur externo symbolo. 2. *Spiritualiter*, quatenus fide corpus & sanguinem Christi, cum ejus merito, nobis applicamus. 3. *Virtute*, quatenus fructum ejus per fidem in cordibus nostris percipimus. Primus gradus sacramentalis præsentiæ etiam infidelibus competit, secundus & tertius non nisi fidelibus. Etsi igitur corpus Christi, locali præsentiâ, tam longe distet à symbolo, quàm cœlum à terra, manet tamen præsentia sacramentalis. Præsentia non opponitur distantiæ, sed absentiæ.

XVII. *Nec ideo Sacramenta vacua signa sunt, quod symbolum & res significata localiter non sint unita; manent enim nihilominus.* 1. *Signa significantia.* 2. *Exhibentia.* 3. *Applicantia.* 4. *Obsignantia.*

Quatuor hæ species signorum probè sunt observandæ, contra eos qui clamitant, nos vacua in Sacramentis signa habere. Signa igitur aut *significantia* tantum sunt, ut imago picta hominem significat; aut *exhibentia* quoque, ut sceptrum, claves, & similia, quibus exhibitis, potestas Regia, aut facultas ingrediendi dorum confertur; aut *applicantia* insuper, sicut promissio Dei de conservandis 144000, cuique ab Angelo, signo in fronte notato, applicatur. Apocal. 7. 3. aut *obsignantia* denique, qualia sunt arrha, sigilla & similia. Jam vero hi quatuor gradus in Sacramentis concurrunt. Primum enim externa symbola corpus Christi eiusque sanguinem significant ac repræsentant. Secundo, unà cum signo exhibetur quoque res signata; non tamen in signo, sed in actione sacramentali, exhibente *Ministro* signum, Christo vero Domino dante rem signatam. Tertio, res signata Euangelii verbo generaliter fidelibus promissa, exhibito signo, cuique fidelium applicatur. Quarto, eadem promissio Sacramento obsignatur, unde non signa tantum, sed sigilla appellantur, Rom. 4. 11.

XVIII. *Ex unione & relatione rei signatæ cum signo fluit loquutio seu phrasis sacramentalis, quâ de signo res signata prædicatur: in quo loquendi modo, non tam exprimitur, quid externa signa in se & suâ naturâ sint, quàm quid significent.*

Genes.

Genes. 17. 10. Circumcisio (phrasi Sacramentali) *fœdus* nominatur: & vers. 11. propriè *signum fœderis* Exod. 12. 11. Agnus *Paschæ*, hoc est transitus, appellatur; quem locum ab Adversariorum exceptionibus vindicant parallela dicta, Marc. 14. 12. *Primo die Azymorum, quando Pascha mactabatur*, & Luc. 22. 8. *Profecti parate nobis Pascha ut edamus*, & vers. 11. *Ubi est diversorium, ubi Pascha cum Discipulis meis edam?* & vers. 12. *Illic parate Pascha*, & vers. 15. *Desideravi vobiscum edere hoc Pascha*. Huc faciunt omnia illa loca, quibus sacrificiis expiatio, & aquæ seu ablutionibus purificatio tribuitur. Item, quibus nomen *Iehovæ* arcæ aut Hierosolymæ tribuitur, Psal. 47. 6. Ezech. 48. 35. Similia testimonia in Novo Testamento sunt, Matth. 26. 26, 27, 28. *Edentibus autem eis, Iesu cum accepisset panem, & benedixisset, fregit, deditque Discipulis, & ait, Accipite, comedite, hoc est corpus meum: & accepto populo ac gratiis actis, dedit eis, dicens, Bibite ex eo omnes. Hoc est enim sanguis Novi Testamenti*, &c. Vide parallela loca apud Marcum, Luc. & 1 Cor. 11. Sic 1 Cor. 10. 4. *Petra vero illa erat Christus*, Ephe. 5. 26. *Ut Ecclesiam sanctificaret, purificans eam lavacro aquæ per verbum*, Col. 2. 12 *consepulti cum eo per Baptismum*, Hebr. 9. 13. *Nam si sanguis taurorum & hircorum & cinis juvencæ aspergens inquinatos, sanctificat ad carnis puritatem*, &c. Imo id ipsum in aliis quoque, quàm Sacramentalibus signis videtur: ut Gen. 41. 27. *Septem vaccæ, sunt septem anni*: id est, typi & figuræ septem annorum. Apoc. 17. 9. *Septem capita sunt septem montes*, & vers. 12. *Decem cornua sunt decem Reges*.

XIX. *Loquendi hac ratio, Metonymia sacramentalis, rei signatæ pro signo, nominatur. In attributo vero, an in copula tropus esse dicatur, non multum interest; etsi enim tropus statuatur in attributo, causa tamen seu fundamentum tropi est in copula.*

Subjectum & attributum materialis causa sunt simplicis enunciationis, copula verò affirmata vel negata, formalis eius pars est, per quam vera aut falsa, propria aut figurata existit, quoties enim disparata per copulam coniunguntur ac affirmantur, falsa est enunciatio, aut tropica. Sedes igitur tropi est in prædicato, sed causa ejus est in copula. Cum igitur copula *est* in hac enunciatione, Hoc est corpus meum, disparata conjungat, panem nimirum & corpus Christi, necesse est falsa statuatur enunciatio (quod citra blasphemiam dici nequit) aut tropica. Plana igitur est talium enunciationum interpretatio, Panis est corpus Christi i. e. Sacramentum corporis Christi. Circumcisio est fœdus Dei i. e. signum seu sacramentum fœderis. Septem boves sunt septem anni, hoc est, figuræ septem annorum. Sic aquæ lavacro purgari dicimur sacramentaliter, quatenus Baptismus seu lavacrum est sacramentum purgationis. Sic sacramentaliter sacrificia veteris testamenti expiare dicebantur, quia typi fuerunt expiationis per Christum.

XX. *Finis Sacramentorum est fœderis gratia obsignatio*

XXI. *Effecta Sacramentorum non sunt Iustificatio aut Sanctificatio, tanquam ex opere operato, sed utriusque beneficii confirmatio & obsignatio.*

Res manifesta est ex. emplo Abrahami, qui prius quàm circumcisus esset, justificatus erat, Rom. 4. 11. Falsò igitur Pontificii asserunt, Sacramenta insita quasi vi ex opere operato remissionem peccatorum & similia beneficia conferre. Loca autem Scripturæ, quibus de Sacramentis talia prædicantur, ut suprà ostensum est, per sacramentalem metonymiam tunt exponenda.

XXII. *Sacra-*

XXII. *Sacramenta communia ſunt omnibus fœderatis quoad ſigna; propria vero electis, quoad rem ſignatam.*

XXIII. *Sacramenta ad ſalutem neceſſaria ſunt, non ſimpliciter et abſolutè tanquam primariæ ſalutis cauſæ; ſed ex hypotheſi, quatenus media ſunt ſalutis ordinaria, Chriſti præcepto uſurpanda.*

Hinc Bernardi regula, *Non privatis, ſed contemptus damnat.*

XXIV. *Verbum et Sacramenta conveniunt ſubſtantia; idem enim ſigilla obſignant, quod Teſtamento promittitur. Differunt autem: 1. Quod Verbum auditu, Sacramenta viſu percipiantur, adeóque Sacramentum ſit Verbum viſibile. 2. Quod Verbum Euangelii generale ſit; Sacramenta vero promiſſiones Euangelicæ cuique fidelium applicentur. 3. Quod Verbo ordinariè fides excitetur: Sacramentis confirmetur.*

Sacramenta Veteris aut Novi Teſtamenti ſunt.

Veteris Teſtamenti primaria & ordinaria duo erant, Circumciſio & Agnus Paſchalis.

De his in doctrina de Lege Ceremoniali actum eſt.

Novi Teſtamenti duo ſunt, Baptiſmus, & Cœna Domini.

CANONES.

I. *Sacramenta Veteris & Novi Teſtamenti conveniunt re ſignificata quoad ſubſtantiam, Chriſtum videlicet cum beneficiis, qui omnium Sacramentorum nucleus eſt.*

Hebr. 13. 8. *Ieſus Chriſtus heri, hodie idem eſt, & in ſecula,* Apoc. 13 8. *Agnus mactatus à jacto mundi fundamento*; nempe Sacramentaliter, ſub ſacrificiis & Agno Paſchali.

II. *Reſpondeo quinetiam analogicè Baptiſmus Circumciſioni, & Cœna Domini Agno Paſchali. Vt enim circumciſio Sacramentum fuit initiationis ſeu inſitionis in fœdus, & regenerationis ſeu ſpiritualis circumciſionis: ita Baptiſmus. Et ut Agnus Paſchalis ſacramentum fuit ſpiritualis nutritionis: ita ſacra quoque Cœna: Hinc ſacra Cœna ultimæ Paſchatis celebrationi ſucceſſit.*

III. *Differentia Sacramentorum Veteris & Novi Teſtamenti conſiſtit.* 1. *In ſignis externis,* 2. *In modo ſignificandi: illic enim ſignificabatur Chriſtus exhibendus, hic exhibitus.* 3. *In numero*; *præter Circumciſionem enim & Agnum Paſchalem alia quoque habuerunt: nos præter Baptiſmum & ſacram Cœnam nullum.* 4. *In amplitudine*; *prout fœdus quoque novum non ad unum tantum populum ſe extendit.* 5. *In durationc*; *illa enim tantum ad primum Chriſti adventum, hæc ad finem mundi durant.* 6. *In claritate.*

IV. *Falſa*

IV. *Falsa autem est differentia, quam Pontificii fingunt.* 1. *Quod Sacramenta Veteris Testamenti fuerint typi Sacramentorum Novi Testamenti.* 2. *Quod Sacramenta Veteris Testamenti gratiam justificantem tantum adumbrârint, nostra vero ipsum corpus spiritualium bonorum in se realiter habeant.*

Primam differentiam quod attinet aliud est, esse typum Christi, aliud, Sacramentorum Novi Testamenti. Circumcisionem & Agnum Paschalem typos fuisse Christi, suprà ostensum est: typos autem nostrorum Sacramentorum fuisse pernegamus; absurdissimum enim id, ideò tantùm institutа esse, ut nostra significarent. Altera differentia falsa est; utrobiq; enim Christus cum beneficiis suis res Sacramenti est & nucleus. Totùs inter Sacramenta veteris fœderis & Christum hæc differentia est, quod illa bonorum spiritualium *umbra fuerint, quarum Corpus Christus*, Col. 2. 17.

V. *Nec idcò Sacramenta Novi Testamenti antiquis non sunt præstantiora: quod gratiam justificantem, non ex opere operato conferant: manent enim prærogativæ illorum tertio canone expressæ, imprimis secunda & sexta.*

Objicere hic solent, clariora fore Sacramenta Veteris Testamenti, nisi hanc differentiam (ab ipsis confictam) agnoscamus; agni enim mactatione clarius mortem Christi repræsentari, quam pane Eucharistico. Verum sciendum ante omnia, qua in re claritas Sacramenti consistat; veique non in signis tantum externis, sed in verbo Sacramentali. Iam nonne clarissima sunt hæc verba, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est sanguis meus, qui pro nobis funditur.* Nihil tam aperte de Christi morte in agni institu-

institutione. Deinde, falsum quoque est, agni mactatione clarius signum esse: tum quia longe plures & obscuriores ceremoniæ agni mactationi adjectæ sunt, tum quia fractio panis, fusio vini, & utriusq; perceptio, fractionem corporis Christi & fusorem sanguinis nec nonutriusque participationem, clarissimè repræsentat.

VI. *Duobus Novi Testamenti Sacramentis perperam accensent Pontificii, Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, ordinationem Ministrorum, & Matrimonium.*

Ad Sacramentum tria requiruntur: 1. Ut sub fœdere gratiæ divinitus sit institutum. 2. Ut habeat externum symbolum à Deo ordinatum. 3. Ut annexa quoque ei sit promissio gratiæ. Iam vero hæc tria tantum in Baptismum, & Sacram Cœnam, in nullum vero reliquorum competunt. Confirmatio Papistis ritus est, quo Episcopus, seu Suffraganeus, baptizato, de Religione ac capitibus illius præcipuis interrogato, chrisma illinit, impositio linteo non ante tertium diem, à testibus, amovendo, eique in rei memoriam alapam infligit, ut opiosè ei suppeditetur Spiritus S. contra *Diaboli* tentationes. Verum ubi in Scripturis istius Sacramenti seu ceremoniarum institutio? ubi promissio? Verius hoc Papæ excrementum quam sacramentum dixerimus, & characterem illum quo bestia suos in fronte notat, *Apoc.* 13. 16. ut ex eo manifestum est. quod Sacramentum hoc impiè Baptismo præferant; apertè enim docent, Confirmatione Baptismum perfici, & in ea uberiorem esse Spiritûs S. donationem, quàm in baptismo, cumque Baptismum quivis Pastor aut Presbyter, imò idiota quoque aut mulier administrare queat, confirmationem à solo Episcopo aut suffraganeo peragi debere. Pœnitentia Sacramentum ipsis est, quo lapsi post exploratam resipiscentiam, à Sacerdote seu Ministro absolvuntur.

tur. Et vero agnoscimus, & pœnitentiam lapsis præceptam esse, & potestatem absolutionis Ministris datam; quamvis illi longè aliam pœnitentiam & absolutionem fingant, ut infrà patebit: interea tamen nullum externum symbolum divinitus est ordinatum, quod promissionem habeat. Nec, ut ineptè fingit Bellarminus, hæc verba, *Absolvo te*, symboli loco esse possunt. Unctio extrema ipsis Sacramentum est, quo Sacerdos hominem de vita desperantem, peccata confessum & absolutum, recitatis prius litaniis, iis corporis partibus, quæ sedes sunt quinq; sensuum, oleo olivæ benedicto ungit, ut convalescat, si ad salutem ejus expediat, & abstergantur peccata, post alia Sacramenta accepta, residua. Promisit quidem Christus Discipulis, si ægrotis manus imposuerint, futurum ut melius habeant, *Marc.* 16.18. Præcipit etiam *Jacobus*, ut ægroti accersitis Senioribus impositis manibus & præmissis precibus, ungantur. Verum hæ ceremoniæ non fuerunt sacramenta, sed ritus miraculis, liberè tamen, adhibiti, qui unà cum miraculorum donis expirarunt. Nihil igitur similitudinis, cum unctione illa, habet extrema unctio; ut enim de magico exorcismo, quo oleum consecratur, nihil dicam, certum est, Apostolorum tempore non solùm morituros (ut fit in Papatu) sed quosvis ægrotos unctos fuisse. Ordinatio ipsis Sacramentum est, quo solus Episcopus vel Suffraganeus, Ministro manus imponit, eique solennibus verbis librum, patinam, baculum pastoralem, &c. adhibitis etiam unctionis & rasuræ ceremoniis, tradit, characterémque indelebilem imprimit, ad conferendum gratiam justificantem, quâ potestatem clavium rectè exerceat, Etsi autem ordinatio Ministrorum impositis manibus & adhibitis precibus, Apostolorum exemplo fieri possit: a liaphora tamen est manuum impositio. Ceremoniæ vero Papistarum partim Judaicæ sunt, ut unctio: partim Ethnicæ, ut rasura expresse prohibita, Levit. 19. 27. Conjugium gratuiti fœderis Sacramentum non est, tum quia ante lapsum institutum, tum quia fœderatis cum non fœderatis commune est. Interim non

negatur, connubium imaginem quandam esse connubii spiritualis cum Christo. Si verò ideò Sacramentum esset, tum tot Sacramenta forent, quot parabolæ & allegoriæ. Hinc multi Scholastici quoq; Sacramentum esse negarunt: & quo loco reipsa apud Pontificios habeatur, vel inde patet, quod ἀσύνδετον inter ordinationem & conjugium bellum faciunt, & Ministris suis conjugio tanquam immundo interdicunt.

CAPUT. XXIII.

In quo

De Baptismo.

BAptismus est primum novi fœderis Sacramentum, in quo, electis in Dei familiam receptis, externâ aquæ aspersione, peccatorum remissio, & regeneratio per sanguinem Christi & Spiritum sanctum obsignatur.

CANONES.

1. Baptismi *vox Immersionem & Aspersionem significat, & ex consequenti Ablutionem.*

Aspersionem significare patet ex Marc. 7. 4. *Et à foro venientes, nisi loti fuerint* (ἐὰν μὴ βαπτίσωνται) *non edunt.*

2. Qui-

2. *Quatuor Baptiſmi appellationes hic conſideranda. Baptiſmus* fluminis *ſeu aquæ*; (*a*) lumi-nis *ſeu doctrinæ*. (*b*) flamini *ſeu donorum Spiritûs ſancti*, (*c*) *&* ſanguinis *ſeu martyrii*. (*d*)

(*a*) Matth. 3. 11. *Ego baptizo vos aquâ*. (*b*) Matth. 21. 25. *Baptiſma Joannis* (i. e. totum ejus Miniſterium tum doctrinæ tum Baptiſmi) *unde erat?* & Actor. 18. 25. Apollo *tantum ſciebat Baptiſmum Joannis*. (*c*) Actor. 1. 5. *Vos baptizabimini Spiritu ſancto*. (*d*) Matth. 20. 22. *Poteſtis baptiſmate, quo ego baptizor, baptizari*.

III. *Cauſa efficiens princeps, eſt Chriſtus Dominus, Inſtrumentalis verò, eſt Miniſter legitimè vocatus.*

IV. *Baptiſmum igitur à privato aut à muliere adminiſtratum* (*ut ſit in Papatu*) *ratum non habemus.*

Si enim in terrena re publica nullo loco haberetur, quod privatus quiſpiam citra mandatum fecit: quantò minus corruptio talis Chriſto placebit in Eccleſia ſua?

V. *Materia ejus externa, eſt aqua: Oleum verò, ſal, ſputum, & quæ alia huic elemento à Pontificiis adjunguntur, ad profanationem potiùs, quam adminiſtrationem Baptiſmi faciunt.*

A. R. *Materia Baptismi externa, est aqua:* operæpretium fuerit hic adscribere multiplices rationes cur Aqua in baptismo usurpetur. 1. Quia immersio in aquam representat nobis Christi mortem atque sepulturam, nostrámque adeò mortificationem: similiter ipsa ex aquis lustralibus emersio umbram quandam præ se fert resurrectionis Christi, nostræque vivificationis spiritualis. 2. Aqua parabile est vulgare elementum, ubique fermè in promptu. 3. In principio Spiritus aquis incubabat, atque ita generationis initium attulit; pari modo in baptismo aquæ & spiritus renascimur, regeneramur. 4. Aqua eluit sordes corporis, baptismus labes animi: Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Huiusce aquæ beneficio Christus Ecclesiam suam emundat Eph. 5. 5. Aqua sitim corporis sedat; ita & baptismus animi sitim levat. 6. Aqua calores nimios refrigerat, ita baptismus flagrantem in nos Dei iram restinguit, & æstuantes libidines domat. 7. Baptismus sacramentum est φώτισμὸς illuminationis Heb. 6. 4. & 10. 32. qua de causâ φωτίζειν, illuminare, idem erat veteribus quod baptizare: quin ipse baptismus φωτισμὸς sive illuminatio dicta est; & dies lustrici (quibus diebus, statis scilicet & solennibus, administrabatur baptismus olim apud seclum prius) appellabantur dies φώτων, sive luminum. Est autem aqua corpus diaphanum, per quod lumen ad nos defertur, quo modo per baptismi interventum illuminamur, aspersi quidem nunc dierum aquis lustralibus, non immersi, quod

eadem

eodem recidit: nam & dona ſpiritus per aſpergi-nem aquæ purę deſignantur apud Ezechielem; & ὡς ἐν τύπῳ præfigurabantur in priſcis purificationibus per aſperſionem aquæ, & per aſperſionem ſanguinis agnini ad Paſcha cæſi, quò alludit Apoſtolus, *Hebr.* 10. Aſperſi corda à conſcientiâ malâ, et abluti corpus aquâ purâ.

VI. *Materia interna, eſt, Chriſtus, cum mortis, ſepulturæ & reſurrectionis, aliſque beneficiis.*

VII. *Forma eius externa, partim in actionibus, partim in verbis conſiſtit.*

VIII. *Actio eſt aſperſio aquæ, quæ loco immerſionis uſurpatur.*

Immerſio & emerſio illuſtre ſymbolum fuit ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti: teneræ autem ætatis infantum ratione habitâ frigidioribus locis aſperſionem adhibemus, quâ in familiis quoq; domeſticis baptizandis Apoſtolos uſos eſſe credibile eſt.

IX. *Trinâ aſperſione, an unicâ res peragatur, non magni intereſt: modo abſit ſuperſtitio, & non guttatim aut digito ſaltem, ſed ità res peragatur, ut ſymbolum aſperſioni aut ablutioni reſpondeat.*

X. *Ver-*

X. *Verbum quo Baptismus administrandus est, institutione Christi, imprimis autem formalibus illis,* Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, *comprehenditur.*

XI. *Repugnat Baptismi formæ, tam linguæ peregrinæ seu Latinæ in Baptismi administratione usus, tum aquæ superstitiosa consecratio & exorcismus.*

XII. *Forma interna, in analogia aspersionis & remissionis peccatorum, nec non regenerationis seu sanctificationis consistit.*

Baptismus hac in parte Legalibus aspersionibus respondet, quibus ipsis quoq; remissio peccatorum per Christi sanguinem adumbrata fuit, Aqua quinetiam à sordibus abluens & pla tis humorem suppeditans regenerationis rationem adumbrat, quâ peccato mortui, vivimus justitiæ. Vide Rom. 6. 1. &c.

XIII. *Finis Baptismi prater cæteros ei cum S. Cœna communes, est receptionis seu insitionis in familiam Dei, & regenerationis obsignatio.*

XIV. *Baptismi subjectum sunt omnes fœderati, etiam infantes illorum qui fœderatorum numero censentur.*

Niti-

Nititur hæc regula, 1. Mandato Christi, Matth. 19.14. *Sinite puerulos & ne prohibete eos ad me venire.* Quos Christus sibi adduci vult, eos à baptismo arcere minimè decet. Emphatica sunt in hoc loco, & Luc. 18. 15. Vocabula παιδία & βρέφη, utique *infantes* designantia. 2. Ratione à Christo additâ, Matt. 19.14. *Talium est Regnum Cœlorum.* Ad quos pertinet Regnum Cœlorum & fœdus gratiæ, iis quoque debetur Sigillum fœderis. Atque ad infantes quoque pertinet hoc fœdus, Gen. 17.7. *Ero Deus tuus, & seminis tui,* Actor. 2.39. *Vobis facta est promissio & liberis vestris.* 3. Analogia circumcisionis, quo Sacramento initiati quoque sunt infantes. 4. Exemplo Apostolorum, qui integras familias baptizâsse leguntur, Act. 16. 15. 33. Quam autem ineptè regula illa. 2. Thes. 3.10. *Si quis nolit operari, non edito,* infantibus accommodaretur: tam inscitè Anabaptistæ loca Scripturæ detorquent in contrariam sententiam, quibus adultiores prius doceri jubentur, quam baptizentur.

XV. *Infantes fidem non secus ac rationem habent: etsi non fructu, tamen in semine, & radice: etsi non actu secundo, tamen actu primo; etsi non operis exteriùs demonstratione, tamen spiritus S. interna virtute.*

XVI. *Alia verò infidelium eorúmque infantum ratio est, qui ne quidem ex altero parente fideli nascuntur: hi priùs baptizandi non sunt, quàm ad annos discretionis pervenerint & fidem testati sint.*

XVII. *Baptismus campanarum horrenda est Baptismi profanatio, cum abominabili idololatria conjuncta.*

XVIII.

XVIII. *Ut naturæ ordine prius est nasci quàm pasci: ita prior est Baptismus Cœna Domini.*

XIX. *Baptismus semel susceptus, si essentialia Baptismi servata sunt, non iterandus est.*

Hac de causa Ecclesia nostra Baptismum in Papatu administratum, ratum habet. Non abusûs respectu, qui admittetur, sed quod infans in nomen SS. Trinitatis baptizatus sit.

XX. *Necessarius est Baptismus non absolutè sed ex Christi præcepto: nec talis fingi potest necessitas, propter quam infantes aut ab alio, quàm à Ministro baptizari, aut si sine Baptismo decedant, Beatorum numero excludi debeant.*

XXI. *Baptismus Christi & Joannis reipsa idem est.*

Pontificii Joannis Baptismum à Deo institutum negant, contra apertissima testimonia, *Matth.* 21. 5. Luc. 3. 2. & 7. 30. Joan. 1. 33. Nec obstat, quod Joannes inter suum & Christi Baptismum distinguat, Marci. 1. 8. ibi enim non opponitur Baptismus Baptismo, sed comparatio instituitur inter partes Ministri in Baptismo administrando & Christi, illius enim est dare symbolum, hujus vero, dare rem signatam. Dicunt, eos qui à Joanne baptizati sunt, rebaptizatos esse, Actor, 19. vers. 1. & seqq. Si rebaptizati sunt ab Apostolo, necesse est ab æmulo quodam Joannis non recte baptizatos, fuisse. Nec tamen ex textu illos rebaptizatos esse colligitur: verba enim illa v. 5. non sunt Lucæ de Paulo, sed Pauli de Joanne & discipulis ejus. Nihil igitur favet hic locus vel Papistis vel Anabaptistis.

CAPUT.

CAPUT. XXIV.

In quo

De Sacra Cœna.

SAcra Cœna est alterum Novi Testamenti Sacramentum; in quo Christianis adultis, panis & vini usu à Christo mandato, spiritualis participatio corporis & sanguinis Christi obsignatur.

CANONES.

I. *Sacra Cœna metonymicè* Eucharistia, Synaxis, Mensa Domini, Novum Testamentum; & *synecdochicè* Fractio panis *appellatur.*

II. *Causæ ejus efficientes eædem sunt quæ Baptismi.*

III. *Materia ejus externa seu signa, sunt Panis & Vinum seu Poculum Domini.*

IV. *Mutila igitur Cœna est, ubi non utrique symbolo locus est, nec calix laicis sine sacrilegio eripi potest.*

Matth. 26. 27. *Bibite ex eo omnes,* 1 Cor. 10. 16. *Poculum benedictionis, cui benedicimus, nonne communio sanguinis Christi est?* & cap. 11. 26. *Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, usque quò venerit.*

V. *Materia interna, est Christus cum tota satisfactione & merito suo.*

VI. *Vt*

VI. *Vt azymus panis non sine Judaica superstitione usurpatur, ità nummularii panes Papanæ superstitionis sunt reliquiæ.*

VII. *Forma ejus externa in actionibus & verbis consistit.*

VIII. *Actiones sunt, Panis fractio, & Vini fusio, utriusque signi distributio, & perceptio manu & ore facta.*

IX. *Verbum est, tum tota institutio εὐχαριστίαν, mandatum, & promissionem complectens, tum imprimis promissio.*

X. *Impiè igitur statuitur, quatuor verborum,* Hoc est corpus meum *(quibus tamen quintum, enim, inserunt) submissa demurmuratione, unico spiritu & Sacerdotis intentione, facta, panem in corpus Domini converti, manentibus tantum externis accidentibus panis.*

XI. *Forma interna in analogia signi & signati consistit: qua pane & vino, corpus & sanguis Christi, velut cibus & potus spiritualis; fractione verò panis & fusione vini, corporis ipsius fractio & crucifixio ac sanguinis effusio; utriusque denique distributione & perceptione, mortis Christi applicatio significatur.*

XII. *Fractio panis non est res adiaphora.*

Hac

Hac quippe Christus ipse usus est: Hanc usurpandam demandavit, dicens, *Hoc facite*: hanc ipse explicavit, addens, *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur.* Ab hac S. Cœna nomen habet. Hac denique Ecclesiæ unio designatur. 1 Cor. 10.17. *Unus panis, unum corpus, multi sumus: nam omnes unius panis sumus participes.*

XIII. *Verba,* Hoc est corpus meum, *neque de transubstantiatione, neque de consubstantiatione intelligi possunt: sed sensus est, Hoc (panis nimirum) est sacramentum corporis mei.*

Pontificii hæc verba sic interpretantur: Quod sub specie panis continetur, est corpus meum: Lutherani, in, cum sub hoc est corpus meum. Nostræ interpretationis ratio superiore capite explicata est. Absurdum esse dicunt, in Testamento phrases tropicas, quippe obscuras, usurpari. At 1. Falsa est hypothesis ipsorum, quod tropicæ phrases statim obscuræ quoque sint: sæpe enim tropis ad illustrandum utimur. 2. Æque falsum est, in Testamentis tropis non esse locum: contrarium enim docent Testamenta Jacobi, Gen. 49. Mosis, Deuter. 33. Davidis 2 Sam. 23. Tobiæ, 4. Matthathiæ, 1. Macc. 2. 3. Si tropus nullus est in S. Cœna, tum ostendant, quomodo sine tropo, calix Novum testamentum, in sanguine dicatur. Dignum est Augustini dictum, quod hic subjiciatur. *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cum signum daret corporis sui.* Adverss. Adimant. Manich. cap. 12.

XIV. *Aliud*

XIV. *Aliud est dicere, Christum in pane præsentem esse; aliud præsentiam ejus in S. Cœna asserere. Præsens est Christus Deitate & Spiritu suo. Præsens etiam est corpore & sanguine suo præsentia sacramentali, quæ est,* 1. *Symboli non quod præsens sit in pane, sed quod pane tanquam symbolo repræsentetur.* 2. *Fidei, quâ Christum cum ejus merito nobis applicamus.* 3. *Virtutis & fructus,* Vide suprà pag. 118.

XV. *Finis S. Cœnæ, præter alios, proprius est, obsignare spiritualem nutritionem seu conservationem ad vitam æternam, per meritum mortis & obedientiæ Christi. Ex qua dependet unio fidelium cum Christo & inter se.*

XVI. *Intolerabilis igitur abusus est, cum adhibetur ad probandum innocentiam in foro: ad fœdera humana firmanda: ad cœpta & proposita fortunanda, &c.*

XVII. *Sacræ Cœnæ usus sæpiùs repetendus est.*

Quotiescunque ederitis hunc panem, &c. 1 Cor. 11. 26.

XVIII. *Sacra Cœna à Baptismo non tantùm externis Symbolis differt, sed & fine proprio; quia Baptismus spiritualis regenerationis, sacra Cœna vero nutritionis signum est: Objecto item seu subjecto ὦ; Baptismus enim infantibus quoque sacra Cœna tantùm adultis & probatis debetur; nec non tempore, quia Baptismus semel suscipitur, sacra Cœna vero sæpius iteratur.*

XIX. *S. Cœnæ è diametro repugnat Missa Papistica.*

Sacra

1. Sacra Cœna à Christo: Missa à Papa instituta est. 2. Sacra Cœna Sacramentum est institutum in memoriam Sacrificii Christi semel peracti: Missa vero Papanis est sacrificium ipsum, quotidiè peragendum. Nominârunt quidem Veteres quoque S. Cœnam Sacrificium, verum non expiatorium pro peccatis, sed Eucharisticum, & tale quod conjunctum cum precibus & charitatis operibus, quæ grata sunt Deo sacrificia. 3. Christus se non in sacra Cœna, sed in cruce obtulit; at in Missa sua Christum offerri volunt. 4. Christus S. Cœnam pro vivis instituit: Missa etiam pro mortuis celebratur. 5. In S. Cœna corpus Christi jam factum spiritus S. virtute, non ex pane, sed ex sanguine B. Virginis: in Missa corpus Christi demum creatur à sacerdote, quinque verborum demurmuratione, & quidem ex pane. 6. In S. Cœna verus panis & verum vinum fuit & manet, nomenque hoc etiam post consecrationem obtinuit: in Missa, si credere fas est, externa tantum elementi species & accidentia manent. 7. In S. Cœna Christi mandato è poculo biberunt omnes: in Missa negatur laicis. 8. In S. Cœna tractio Panis facta est in signum corporis pro nobis fracti: in Missa privata frangitur hostia major in tres partes, primam pro Ecclesia triumphante, secundam pro Ecclesia in Purgatorio, tertiam pro Ecclesia in his terris.

CAPUT,

CAPUT. XXV.

In quo

De Ecclesia visibilis natura.

HActenus de externa communione fœderis gratiæ, sequitur externa Ecclesiæ visibilis societas, quâ omnes vocati pro Ecclesia membris habentur.

Consideratur autem Ecclesia hæc in se, aut oppositè respectu falsæ Ecclesiæ, & κατα χρησιν sic dictæ.

Ecclesia in se consideratur respectu naturæ suæ & externæ administrationis.

Est igitur Ecclesia visibilis cœtus hominum Verbo & Sacramentis ad gratiæ statum vocatorum.

CANONES.

I. Ecclesiæ & Synagogæ *nomen, idem est eum Hebræis* Kahal & Edah, *sed usitatius Christianorum cœtus* Ecclesiæ *nominatur.*

II. *Accuratè autem vocis distinctio hic observanda est, ut constet qua de Ecclesia hic agatur.*

III. *Cum enim in triumphantem & militantem distinguatur, illa ad doctrinam de gloria statu pertinet; hæc præsentis est considerationis.*

IV. Et

IV. *Sed & militans Ecclesia in invisibilem & visibilem distinguitur.*

V. *Invisibilis Ecclesia est cœtus tantùm electorum.*

Invisibilis autem nominatur: non quod homines ad eam pertinentes non videantur, qua homines; sed quòd non cernantur qua electi: solus enim Deus novit, qui sunt sui, 2 Timoth. 2. 19.

VI. *Hæc ad vocationis specialis doctrinam pertinet: ex eius enim propriis effectis, fide, charitate & similibus, electi, qui sunt Ecclesia invisibilis, cognoscuntur.*

VII. *Visibilis vero Ecclesia, est cœtus communiter vocatorum tum electorum, tum reproborum.*

VIII. *Nec vero visibilis Ecclesiæ nomen ambiguitate sua caret. Propriè enim de catholica seu universali Ecclesia, per totum terrarum orbem dispersa: strictè de quavis Ecclesia particulari, velut Gallicana, Anglicana, Belgica, Helvetica: strictissimé verò de Ecclesia repræsentativa, seu Pastorum & Seniorum collegio, intelligitur.*

IX. *Causa eius efficiens communiter, est tota SS. Trinitas; singulariter, Christus.*

X. *Materia Ecclesiæ sunt tum communiter vocati & in fœdus gratiæ recepti, tum quoque infantes in Ecclesia nati.*

XI. *Nec ergò infantes nondum baptizati, nec Catechumeni, nec excommunicati; membrorum Ecclesiæ numero excludendi sunt.*

Priora

Priora duo hominum genera ad Ecclesiam pertinent, etsi non professionis, tamen fœderis jure: tertium verò genus hominum tametsi ex particula, ri Ecclesia ejicitur, non tamen simpliciter ejicitur ex Catholica.

Contra Pontificios, prædictos excludentes.

XII. *Forma Ecclesiæ in duplici communione consistit: prior est Ecclesiæ cum Christo tanquam capite; posterior est membrorum Ecclesiæ inter se.*

XIII. *Prior unio in hoc posita est, quod in Ecclesia non solum Christus tanquam caput emineat, sed non secus ac caput membris vires suas communicet.*

Ephes. 1. 22, 23. *Eúmque constituit super omnia, ipsi Ecclesiæ, quæ est corpus, ipsius & complementum ejus, qui implet omnia in omnibus,* & cap. 5. 23. *Quoniam vir est caput uxoris, ut & Christus est caput Ecclesiæ, & is est, qui salutem dat corpori,* &c. Colos. 1. 18. *Estque caput corporis Ecclesiæ.*

XIV. *Ex Ecclesia igitur monstrum faciunt, qui aliud præter Christum, Ecclesiæ visibilis universale caput statuunt.*

Ut non ἀκέφαλος est Ecclesia, sic nec πολυκέφαλος. Unius corporis unum est caput, nisi monstrum sit. Nec quia Ecclesia visibilis est, ideo visibile caput in terris habet, propriè enim Ecclesiæ membra soli electi sunt. Etsi igitur visibilis sit ratione externæ administrationis, invisibilis tamen est ratione electorum, & unionis illorum cum Christo.

XV. *Poste-*

XV. *Posterior unio membrorum aut particularium quoque Ecclesiarum inter se, in unitate professionis, fidei & charitatis consistit.*

Ephe. 4. 4, 5, 6. *Unum est corpus & unus Spiritus, sicut & vocati estis in unam spem vocationis vestræ, Unus Dominus, una fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium, &c.*

XVI. *Finis Ecclesiæ summus est Dei gloria: huic proximus, salus nostra.*

XVII. *Ex adjunctis, tum tituli, tum notæ ejus spectandæ sunt.*

XVIII. *Titulos quod attinet,* Una, Catholica, *&* Sancta *dicitur.*

XIX. *Unica est Ecclesia Christi, ratione formæ jam explicatæ.*

XX. *Catholica autem dicitur, temporis, loci & personarum ratione.*

Catholica Ecclesiæ triplicem significationem habet. 1. Generalissimam, de coetu omnium, tam Angelorum quam hominum. 2. Specialiorem, de coetu omnium electorum hominum. 3. Specialissimam, de Ecclesia militante visibili.

XXI. *Temporis respectu Catholica est, quia inde à mundi principio nunquam penitus defecit, quin esset aliqua visibilis Ecclesia in hac terra.*

Sicut Lunæ lumen decrescit, substantia tamen in nihilum non redigitur: ita quamtumvis Ecclesiæ lux nunc major, nunc minor sit, manet tamen Ecclesia et quidem visibilis, non porcorum quidem sed tamen piorum oculis patens.

XXII. *Loci & Personarum ratione Catholica est, quia nec loco, nec personis est alligata.*

Matth. 24 14, 15. *Prædicabitur istud Evangelium Regni toto in terrarum orbe, &c. Act.* 10. 34, 35. *Vere deprehendo, Deum non respicere ad personam sed in quavis gente acceptum ei esse quemvis, qui eum timeat & operam det justitiæ.*

XXIII. *Sancta est Ecclesia, communiter, vocationis ac fœderis nomine: singulariter verò, respectu electorum, qui sancti sunt in Christo justitiâ imputatâ & inchoatâ.*

De sanctitate vocationis inquit Deus apud *Molen. Deut.* 7. 6. *Populus sanctus es Iehovæ Deo tuo, De* sanctitate imputata et inchoata, *Paul*, 1 Cor. 6. 11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri.*

XXIV. *Sanctitas inhærens Ecclesia in hac vita non est perfecta, nisi Christi respectu, qui perfectione sua ejus imperfectionem tegit, & spe futura profectionis.*

Ephes. 52. 5, 26, 27. *Christus allexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea: ut eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per Verbum. Ut sisteret eam sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata.*

XXV. *Non igitur ab omni errore Ecclesia immunis est, ut volunt Papani. Etsi enim Catholica Ecclesia in fidei fundamento non ita erret, ut penitus deficiat, non tamen est extra omnem erroris*

erroris aleam posita; quippe cujus nullum membrum in hac vita perfectum est. Particularis vero Ecclesia non tantùm errare, sed & in meretricem degenerare potest.

Hinc Ecclesia Romana, quæ Apostolorum tempore mulieri Sole amictæ, & coronam in capite, ac sub pedibus Lunam habenti similis fuit, adeò degenerasse legitur, ut assimiletur meretrici, Bestiæ insidenti, Apoc. 12. vers. 1. & 17. 1. &c.

XXVI. *Notæ Ecclesiæ visibilis sunt pura Verbi Dei prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio.*

De notis invisibilis Ecclesiæ suprà dictum est, eas ex vocationis effectis pendere: eædem enim notæ sunt Electorum specialiter vocatorum, & Ecclesiæ invisibilis. Hic verò ex tantum notæ spectantur, quibus Ecclesia visibilis indubiè ostenditur. Patet autem, has notas Ecclesiæ esse ex his testimoniis. Matth. 28. 19, 20. *Profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes eos observare omnia quæ mandavi vobis.* Act. 2. 42. *Perdurabant autem in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus.* Adjungunt nonnulli disciplinam Ecclesiasticam; verum hæc sub duabus prioribus comprehenditur; nam disciplina Ecclesiastica utriusque est requisitum.

XXVII. *Notæ istæ, quoad fundamentum Religionis, omnibus Ecclesiis æqualiter; quoad accidentalia verò, alii Ecclesiæ magis, alii minùs competunt.*

XXVIII. *Non ſtatim igitur propter quemvis errorem aut abuſum, de veritate Eccleſiæ particularis ambitzndum.*

Non enim ea requiritur puritas, quæ nè quidem in unico articulo erretur, aut nihil plane abusûs in Sacramentorum administrationem irrepat. Dummodo à cardine ſalutis, veluti Legis utraque tabula & fide in Chriſtum non recedatur. 1 Cor. 3 11, 12. *Nam fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Jeſus Chriſtus. Quod ſi quis ſuper-ædificet ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: cujuſque opus manifeſtum fiet, dies enim id declarabit; nam per ignem retegitur; & cujuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit quod ſuper ædificaverit, mercedem accipiet. Sic cujus opus exuſtum fuerit, dammum faciet: ipſe verò ſervabitur, ita tamen, ut per ignem.*

XXIX. *Quindecim Eccleſiæ notarum à Bellarmino recenſitarum quædam veræ ſunt, noſtriſque congruunt, à quibus tamen longè abeſt Eccleſia Romana: aliæ verò aut ab Eccleſia viſibili alienæ, aut falſæ potius quàm veræ Eccleſiæ notæ, aut cum Eccleſia non reciprocæ ſunt, quippe nec ſoli, nec ſemper ei competentes.*

1. Prima nota ipſi eſt, Nomen *Eccleſiæ & Chriſtianorum.* Verùm ſæpè nomina de facto, non de jure tribuuntur; unde nullum firmum argumentum deducitur à nomine, niſi res ipſa reſpondeat. Apoc. 3. 1. *Dicèris vivere, ſed mortuus es.* II. Secunda eſt, *Antiquitas*; quæ nec ſoli Eccleſiæ, nec ſemper competit. Non ſoli; quia Mundus, Cœlum & Elementa, antiqua, nec tamen Eccleſia ſunt. Non ſemper; quia Eccleſia non ſemper antiqua, ſed quondam recens quoque fuit. Vera antiquitas, eſt primum rei principium: quod ut primum, ita verißimum eſt. In genere

nere igitur Ecclesiæ antiquitas inde à Paradiso, in specie vero, antiquitas Ecclesiæ Apostolicæ, à Christi & Apostolorum prædicatione æstimanda est. Jam vero Ecclesia Romana, qualis hodie est, longè post Apostolorum tempora exorta est. III. Tertia est, *Duratio diuturna, nec interrupta*, quæ quidem proprietas est Ecclesiæ Catholicæ visibilis, verùm ex promissione Dei, fidei potiùs, quàm sensui innotescit: Et ut vera antiquitas non est, quæ non à primo principio dependet: ità duratio nulla est, quæ non ab eodem sumit initium. IV. Quarta est, *Amplitudo & credentium multitudo*: quæ non semper Ecclesiæ competit, ut testatur exemplum Ecclesiæ, tempore primorum parentum, Noachi, Abrahami, &c. Imò à natura Ecclesiæ aliena est, cum major semper sit numerus impiorum Matth. 7. 13. *Introite per angustam portam*: & Luc. 12. 32. *Ne time, pusille grex*. V. Quinta est, *Successio Episcoporum*, quæ ipsa quoque nec semper, nec soli Ecclesiæ tribuitur. Non semper; ut enim in primordiis Ecclesiæ non fuit, ità in fine earum est defutura. Non soli; quia etiam in falsa Ecclesia successio Episcoporum reperitur, Unde successio potius doctrinæ quam personarum spectanda, & ex doctrina personæ, non ex personis doctrina judicanda est. *Non habent hæreditatem Petri*, inquit Ambrosius, *qui fidem Petri non tenent*. VI. Sexta est, *Conspiratio in Doctrina cum Ecclesia antiqua*; quæ quidem vera nota est, sed eadem cum nostris, Verbi videlicet & Sacramentorum puritate, prout fuit tempore Ecclesiæ Apostolicæ, à qua defecit Romana. *VII. Septima* est, *Unio membrorum cum capite* (Papa nimirum) & inter se. Prius lemma falsæ, & non Apostolicæ, sed Apostaticæ Ecclesiæ nota est, quæ adorat Bestiam, Apoc. 13. 12. Posterius non soli Ecclesiæ tribui potest, cum etiam unio Diabolis intercedat, Matth. 12. 81. VIII. Octava est, *Sanctitas doctrinæ*, eadem cum sexta. IX. Nona est, *Efficacia doctrinæ*, itidem sexta, adeoque nostris notis respondens: minimè autem conveniens Romanæ Ecclesiæ. X. Decima est *Sanctitas vitæ*, autorum seu primorum Patrum Religionis. Hæc vero sanctitas

ctira aut interna eſt, aut externa. Si interna, non viſibilis Eccleſiæ nota eſt. *verus Judæus in occulto eſt*, Rom. 2. 29. *Novit Dominus eos qui ſunt ſui.* 2 Tim. 2. 19. Si externa, fallax eſt; cùm etiam *Diabolus ſe in angelum lucis transformet.* 2 Cor. 11. 14. Unde ex doctrina, non ex vita doctorum judicanda eſt Eccleſia, Mat. 23. 3. *Omnia quæ dixerint vobis ut obſervatis, obſervate & facite, ſed ſecundùm opera eorum nè facite.* Undecima eſt, *Gloria miraculorum.* XII. Duodecima, Lúmen Propheticum. Æqui miraculorum & Prophetiæ dona extraordinaria fuerunt, data ad Euangelii confirmationem, quo propagato ac prædicato inter Gentes, evanuerunt. Unde Apoſtoli nec miracula alia, nec propheriam promittunt, ſed potius prophetiæ & miraculorum gloriationem Antichriſtianæ Eccleſiæ notam faciunt. 2 Theſſ. 2. 9. Apoc. 13. 13. Et Chriſtus ipſe, tales ſe agnitu rum negat, Matth. 7. 22. XIII, Decima tertia nota eſt. *Confeſſio Adverſariorum*, Ethnicorum, Iudeorum, &c. At talium teſtimoniorum tanta autoritas eſt quanta ipſorum Adverſariorum, quorum acceſſione nihil additur, deceſſione nihil detrahitur. XIV. Decima quarta eſt, *Infelix exitus Eccleſiam oppugnantium.* XV. Decima quinta, eſt *Felicitas Eccleſiam defendentium.* Hæc vero tam incerta nota eſt, ut nè quidem nomen notæ mereatur. Neſcit enim homo ex talibus amoremaut odium, Eccl. 9. 3. Quin imo falſæ potius Eccleſiæ nota exiſtit; certum enim eſt, Eccleſiæ ſtatum ut plurimum in hac vita infelicem ac triſtem eſſe. Ioan. 16. 20. *Amen, amen dico vobis, flebitis vos & lamentabimini, mundus autem gaudebit.*

CAPUT.

CAPUT XXVI.

In quo

De Externa Ecclesiæ Administratione.

DE Ecclesiæ natura hactenus actum est. Sequitur ejus administratio.

Hæc ordinaria est, aut extraordinaria.

Ordinaria publica est, aut privata.

Publica, est Ecclesiastica, vel Politica.

Ecclesiastica est, quæ res spirituales tractat.

Estque propria personis in Ecclesia publicis, vel integro cœtui communis.

Propria est, quæ à quolibet Ecclesiæ Ministro pro vocationis suæ ratione peragitur.

Ministri Ecclesiæ sunt, quos Deus plebi Ecclesiasticæ præfecit.

CANONES.

I. *Nemo Ecclesiæ præfici potest, nisi legitimè vocatus.*

II. *Nemo ad Ministerium Ecclesiasticum cogendus est.*

III. *Ministris conjugio non est interdicendum.*

1 Cor. 9. 5. *Annon habemus potestatem sororem, uxorem circumducere, ut & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* 1 Tim. 3. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum:* & vers. 4. *Qui domui suæ bene præsit, qui liberos contineat in subjectione, cum omni honestate.*

Miniſtri extraordinarii ſunt, aut ordinarii.

Extraordinarii ſunt, quos Deus extra ordinem ſuſcitat, vel ad novum regimen Eccleſiæ inſtituendum, vel ad vetus collapſum inſtaurandum.

Tales ſub Veteri Teſtamento erant Prophetæ. Novi vero Teſtamenti tempore Ioan. Baptiſta; Chriſtus; Apoſtoli; Prophetæ, h. e. dono Scripturas interpretandi inſtructi; Euangeliſtæ, Apoſtolorum comites et ſuccenturiati; Paſtores Eccleſiis et Doctores Scholis præfecti, Eph. 4. 11.

CANONES.

I. *Notæ Miniſtri extraordinarii fuerunt dona extraordinaria.*

II. *Talia erant donum Prophetiæ, Linguarum & Miraculorum.*

III. *Dona illa extraordinaria tamdiu viguerunt, quamdiu Dei voluntas & Eccleſiæ neceſſitas ferebat, iiſque ſublatis ſucceſſit Miniſterium ordinarium.*

Ordinarii Miniſtri ſunt, qui ordinariis mediis inſtruuntur & vocantur.

Suntque tum Paſtores & Doctores, tum Preſbyteri & Diaconi.

Paſtores ſunt, qui certo gregi præſunt docendo, Sacramenta adminiſtrando, & invigilando.

CANONES.

CANON.

I. *Paſtoribus omnibus nomen* Epiſcopi *competit.*

1 Tim. 3. 1.

II. *Etſi autem in Eccleſiis hîc mos invaluerit ut qui diœceſi particularium Eccleſiarum præfectus erat,* Epiſcopus *nominaretur, nemini tamen* univerſali Epiſcopi *nomen debetur.*

Doctores ſunt, qui in Scholis in hoc incumbunt, ut veritas doctrinæ juventuti inſtilletur, & in Eccleſiis quoque obtineat.

CANONES.

Inter Paſtores & doctores hoc intereſt, quod illi Eccleſiæ, hi Scholis præſint; illi movendis, hi docendis præcipuè Auditoribus intenti ſint.

Presbyteri ſunt viri pii & graves, Paſtoribus adjuncti, ut illis in iis, quæ ad Eccleſiæ εὐταξίαν pertinent, in viſitandis ægrotis, in obſervandis inordinate viventibus, & aliis ſimilibus præſto ſint.

Diaconi & Diaconiſſæ olim erant, quibus bona Eccleſiaſtica colligenda & diſtribuenda concredita erant.

Act. 6. 1. &c. 1 Tim. 3. 8. &c.

CANONES.

1. *Bonorum Eccleſiaſticorum collectio & uſus eſt juris divini.*

Apparet hoc ex Veteris Teſtimenti œconomia; Dei enim mandato, decimæ pro Sacerdotibus et Levitis et pauperibus collectæ erant. In Novo Teſtamento Chriſtus quoque pecunias à piis et locupletibus ſubminiſtratas, non aſpernatus eſt, Luc. 8. 3. Ex quibus non familiares tantùm ſuos, ſed pauperes quoque ſuſtentavit, Ioan. 13. 29. Apoſtolorum vero tempore Diaconi bonis Eccleſiaſticis adminiſtrandis præfecti ſunt, Actor. 6. 1. &c.

11. *Vt verò improbanda eſt Eccleſiæ Romanæ in illis colligendis φιλαργυρία, horrenda ſuperſtitione & idololatria ſuffulta, & nefario eorundem in luxum & pompam profuſio: ita graviter in Deum & Eccleſiam inter Euangelicos quoque peccant ſi qui eadem malâ fide adminiſtrent.*

Et hæc de propria adminiſtratione. Communis in Vocatione Miniſtrorum, in ordinanda Eccleſiæ εὐταξία, in judicanda doctrina & controverſiis & in clavium uſu conſiſtit.

Vocatio Miniſtrorum eſt, quâ Eccleſiæ idoneos homines, exploratâ eorum vitâ & eruditione, ad Miniſterium eligit, & ſolenni ritu in muneris poſſeſſionem immittit.

CANONES.

CANONES.

I. *Causa Vocationis hujus efficiens princeps, est Deus, qui intrinsecus Ministros vocat, donisque suis eos instituit. Ministerialis verò, est Ecclesia tota, aut minimum Ecclesia repræsentativa, ex Pastoribus & Presbyteris aut etiam plebe Ecclesiastica. Non autem solus Episcopus aut Pastor.*

Eligendum enim jus nè vendicârunt, Act. 1. 23, et quidem Apostoli sibi solis 6. 5. & 14. 23.

II. *Ad vocationem legitimam tria pertinent, Exploratio, Electio, & Confirmatio.*

III. *Exploratio est tum vitæ, tum doctrinæ. Prius autem vita exploranda est quàm doctrina: cujus enim mores tolerabiles non sunt, is ad examen doctrinæ non est admittendus.*

IV. *Electionis hic processus est, ut precibus ad Deum ardentibus fusis, nominatis personis, è quorum numero quispiam eligendus, unus aliquis omnium aut majoris partis suffragiis, voce seu χειροτονίᾳ indicatis, eligatur.*

V. *Confirmatio, est personæ electæ introductio, in quæ publicis precibus præmissis, Ecclesiæ commendatur, eique vocatio impositis manibus confirmatur.*

VI. *Falso statuunt Pontificii vocationem non legitimam esse, si à Presbyteris, non ab Episcopis facta sit.*

Nec

Nec enim jure divino maiorem potestatem & autoritatem habent Episcopi.

VII. *Vocationem eorum qui Patrum nostrorum ævo Ecclesiam reformarunt, Ecclesia reformata ratam habuit, non quatenus à Papismo tanquam struma Ecclesiæ profecta est sed quatenus κυρίως à Deo vocati & donis instructi fuerunt.*

Obiiciunt. Tales quidem vocatos fuisse sub Papatu, verum ex quo defecerunt, vocationem ipsorum exspirasse. Respondemus autem, falso ipsos accusari defectionis; non enim defecerunt ab Euangelio, ad quod prædicandum etiam in papatu vocati sunt, sed à corruptione Euangelii. Nec est cur clamitent illos vocatos fuisse ad prædicandum doctrinam Ecclesiæ Romanæ: cum enim doctrinam suam sub titulo Euangelii comprehendant, Minister, qui animadvertit, eam in rei veritate ab Euangelio alienam esse, eidem iure vocationis suæ contradicere potuit. Etsi igitur ab Ecclesia Romana defecerint, à vocatione sua tamen non defecerunt.

VIII. *Nec quicquam proferre possunt, quo vocationem Ministrorum apud nos, secundum superiores regulas factam, infringant.*

Primum enim ipsis interrogantibus, Quo iure docea nus? idem respondemus, quod Christus, id ipsum quærentibus, Matth. 21. 24. *Baptismus Ioannis unde est, è cælo, an ex hominibus?* Pari ratione & nos dicimus, doctrina Antecessorum nostrorum, quæ hodieq; apud nos sonat; unde eis repugnare illi Verbo Christi & Apostolorum, an consonat? Si repugnet, ostendant, in quibus articulis, si consonant, vocationem nostrorum improbare nequeunt. Ubi enim vera doctrina locum habet, ibi legitima quoque vocatio. Adhæc, quæ vocatio respondet exemplo Apostolorum & Ecclesiæ primitivæ, illa legitima est. Talem autem esse nostram vocationem, manifestum est.

Judi-

Judicandæ doctrinæ ἐξουσία est, quâ Ecclesia in doctrinam inquirit, ac controversias Ecclesiam turbantes dirimit.

CANONES.

I. *Doctrina à singulis etiam idiotis iudicari potest & debet, sitne Scripturæ consentanea.*

Act. 17. 11. Beroenses *quotidiè examinantes Scripturas an hæc ita se haberent.* 1 Cor. 10. 15. *Ut prudentibus loquor judicate vos quod aio.* 1. Ioan. 4. 1. *Dilecti ne cuivis Spiritui credite, sed probate Spiritus an sint ex Deo.*

II. *Graviore autem controversiâ exortâ, à publico quoque conventu seu Presbyterio id fieri debet.*

III. *Vt autem Spiritus sanctus summus controversiarum Iudex est ita Scriptura, tanquam vox Spiritus sancti, norma & regula est, quâ curvum à recto dignoscendum.*

Potestas circa Ecclesiæ ὑπαξίαν est, quâ statuit de iis, quæ decenter in Ecclesia fieri debent.

CANONES.

I. *Obiectum hujus potestatis, sunt externæ circumstantiæ cultus divini, tempus, locus, & alia similia per se adiaphora.*

II. *In his siquid incommodi deprehendatur, Ecclesia jus habet vetera abrogandi, et commodiora substituendi.*

III. *Nec tamen canones et consuetudines Ecclesiæ Scripturæ canoni sunt exæquandæ.*

Potestas

Potestas clavium est, quâ Ecclesia ad disciplinæ conservationem utitur.

Partes eius duæ sunt: Ligatio & Solutio.

Ligatio est, qua peccatori ira divina denunciatur, ni resipiscat.

Solutio est, quâ peccatori resipiscentiam testato, peccatorum annunciatur remissio.

Utraque certos gradus habet.

Ligationis gradus sunt I. Severa adhortatio & comminatio, antegressis, frustraneis tamen privatis monitis, à Presbyterio facta (a) 2. Abstentio à sacra Cœna. (b) 3. Excommunicatio maior, quâ peccator extra Ecclesiam rejicitur, non tamen sine spe veniæ ac reditûs, si resipiscat. c) 4. Anathema & Syro vocabulo Maranatha, cum omni spe abjecta ejicitur.

(a) Matth. 18. 15, 16, 17. *Si peccaverit in te frater tuus, veni & argue eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Sin verò te non audierit, accipe tecum adhuc unum aut duos, ut in ore duorum aut trium testium, stabile sit omne verbum. Quod si neglexerit eos audire, dic Ecclesiæ, &c.* (b) Matth. 7. 6. *Ne date quod sanctum est canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis.* (c) 1 Cor. 5. 5. *Ejusmodi homo tradatur Satanæ, ad interitum carnis ut Spiritus salvus sit die illo Domini Iesu.* (d) 1 Cor. 16. 22. *Si quis Dominum Iesum Christum non amet, sit anathema Maranatha,* 1 Ioan. 5. 16. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget.*

In solutione iisdem gradibus observatis, peccator in gratiam ab Ecclesia recipitur.

Sic

Sic Apostoli monito, Corinthius excommunicatus in gratiam receptus est, 2 Cor. 2. 7, 8.

CANONES.

I. *Autor ac fundator hujus potestatis, est Christus.*

Ex testimoniis supra citatis.

II. *Clavium hæc potestas non est penes solum Episcopum aut Pastorem, sed penes totum Presbyterium.*

Falso sibi potestatem hanc arrogat Papa. Ut enim, quo jure Petri sibi ius vendicet nihil dicam, certum est, non soli Petro claves traditas, Matth. 16. 18. sed idem ius reliquis quoq; concessum fuisse, Mat. 18. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, &c.* et Ioan. 20. 23. *Quibus remiseritis, &c.*

III. *Objectum ligationis istius, est peccator, qui aut privata admonitione non emendatus est, aut tale scandalum dedit, quod privata adhortatione tolli non potuerit.*

IV. *Forma in decenti graduum observatione consistit; ubi enim primus aut secundus gradus cum fructu tentatus est, non deveniendum ad tertium. Ad quartum verò rarissimè.*

V. *Alienæ planè à vera clavium potestate sunt Indulgentiæ Papistarum, commentitium thesaurum jactantium, quem Papa ex Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum meritis conflavit; quippe quos maiora passos esse perhibet, quàm peccata ipsorum requisiverint.*

Su-

Sufficiat nobis sanguinis Iesu Christi thesaurus, qui purgat nos ab omni peccato, 1 Ioan. 1. 7.

VI. *Nec minùs repugnant Solutioni satisfactiones, quas peccatoribus iniungunt.*

Satisfactio hic non ea intelligitur, quæ Ecclesiæ fit, testificatione seria pœnitentiæ, etiam publica, signando res id postulet: sed quâ pro pœna satisfiat. Cæterum, sententia illorum falsa nititur hypothesi, remissa culpâ pœnam reservari quâ de re in doctrina de Iustificatione infra agetur.

VII. *Finis istius potestatis est ut Ecclesiæ nitor & decus conservetur, impiique ad resipiscentiam alligantur.*

VIII. *Inter potestatem Magistratus & Ecclesiæ hæc differentia est: 1. Illius obiectum est quivis homo: huius tantum Ecclesiæ membra, etiam summis personis non exceptis. 2. Illius obiectum est corpus & facultates externæ: huius verò anima. 3. Illa etiam resipiscentibus pœnam irrogat: hæc resipiscentes in gratiam recipit.*

IX. *Ministri & Presbyteri facinus aliquod occultum sibi ab homine, conscientiæ angustia pressо, revelatum, nisi publicæ tranquilitatis & salutis ratio id requirat, non evulgare debent, ne consolationis Ecclesiæ occasio aliis præcidatur.*

Hæc vero est Ecclesiastica gubernatio. Politica nunc sequitur, quâ Ecclesia à Magistratu quoque regitur.

CAP.

CANON 28.

I. *Magistratus Ecclesiæ sunt nutritii, quatenus utramque Legis tabulam custodiunt, Ecclesias & Scholas conservant, veritatémque propugnant.*

II. *A subiectione Magistratui debita Ministri & Clerici, quos vocant, nequaquam immunes sunt.*

Roman. 13. 1. *Omnis anima potestatibus supereminentibus subjecta esto.* Testantur id, exempla Christi censum dantis, Matth. 17. 27. et Pauli ad Cæsarem provocantis, Act. 25. 11.

III. *Imò etiam infideli Magistratui obediendum est, in iis quæ salvâ conscientia præstari possunt.*

IV. *Pro Magistratu etiam infideli Deus orandus est.*

1 Timoth. 2. 1. *&c.*

Sic fuit publica administratio. Privata est quâ singula ecclesiæ membra charitatis vinculo inter se coagmentantur, ad totius corporis mystici ædificationem.

Vide Rom. 12. 6, *&c.* 1 Corinth. 12. 12, *&c.* Ephes. 2. 20, *&c.* et 4. 1. *&c.*

Hæc

Hæcque omnia hactenus de ordinaria Ecclesiæ gubernatione. Extraordinaria est, cum necessitate sic requirente Concilium convocatur.

Concilium est conventus à politico Magistratu, vel de communi consensu Ecclesiæ indictus, in quo viri Spiritus sancti donis ornati, legi imeque ad hoc delegati, causam Ecclesiæ cognoscunt, & ex Verbo Dei definiunt.

Estque vel Oecumenicum seu Universale, vel Particulare.

Particulare iterum est, nationale aut provinciale.

CANONES.

I. *Concilium convocandum est à Magistratu, si fidelis sit: si infidelis sit; aut libello supplici impetrandum; aut si Concilii apertus hostis sit, communi Ecclesiarum consensu, necessitate sic efflagitante, celebrandum est.*

II. *Personæ, quæ Concilio interesse debent, sunt Præses Politicus & Ecclesiasticus, totidémque Scribæ, & viri idonei ad hoc delegati. Nec plinè excludendi sunt privati quoque, qui doctrinæ tractationi interesse possunt, scandalorum (quæ charitas togit) cognitioni non item.*

III. *Materia in Concilio seu Synodo tractanda, est causa Ecclesiastica gravis & consideratu digna ac necessaria.*

IV. *Forma Concilii in religiosa & ordinata veritatis disquisitione posita est.*

V. Reli-

v. *Religiosa erit, si ardentibus ad Deum precibus præmissis, ad sacram Scripturam omnia, tanquam infallibilem normam & regulam, examinata fuerint.*

vi. *Ordinata erit, si unusquisque sui officii memor fuerit.*

vii. *Politici Præsidis est, Concilium cogere, coactum tueri, vim omnem & ἀταξίαν prohibere, decreta legitimè facta autoritate sua promulgare, reluctantes coercere.*

viii. *Ecclesiastici Præsidis est; quæstionem proponere, Disputationem ex Assessorum consilio moderari, sententiam rogare, decreta per Notarios in acta referre*

ix. *Reliquorum delegatorum est sententiam suam placide & rotundè proponere aut alteri præeunti & rectè sentiente adstipulari.*

x. *Longè abest ab hac Concilii forma Præsidium, quod sibi Pontifex arrogat, qui nec Scripturam consulit, nec Assessorum sententiam rogat, sed placita sua Concilio confirmanda obtrudit.*

xi. *Alia fuit ratio Concilii Hierosolymitani, in quo cuique sententiam dicere fas erat: nec minus Paulus & Barnabas, quàm Petrus, Auditi sunt, & ponderatis ultro citróque sententiis, tandem Jacobus concluſit.*

Act. 15. *vers.* 6, 19.

xii. *Finis Conciliorum, est veritas & tranquillitas Ecclesiæ.*

xiii. *Con-*

XIII. *Conciliorum tanta autoritas est, quanta illorum cum Scriptura conformitas exstitit. Nec magis quàm Ecclesia ipsa extra errandi aleam posita sunt.*

Quid enim Conciliis imprimis Papisticis, tribuendum sit, cum ex anti. Conciliis, tum ex decretis palam impiis facilè liquet. Concilium Constantiense et Basilienſe Episcopum Romanum Synodo subesse et parere volunt. Tridentinum contra Papam super omnia Concilia effert. Concilium Nicœnum II, Secundum præceptum Decalogi, et Constantiense præceptum Christi de S. Coena integrè percipienda, impudenter proculcat.

CAPUT. XXVII.

In quo

De Falsâ Ecclesiâ.

SIc duobus capitibus actum est de Ecclesia in se considerata. Eidem nunc falsa Ecclesia hostium opponitur.

Hostes Ecclesiæ sunt aperti & dissimulati.

Appellantur, Apoc. 20. 8. *Gog* et *Magog*, id est, tecti et retecti.

Aperti sunt Ethnici, Judæi, & Mahometani.

Ethnici sunt, qui falsos & commentitios deos fingunt, pingunt & colunt.

Judæi

Judæi ſunt, qui SS. Trinitátem & Meſſiæ exhibitionem negant, quæque de ſpirituali Chriſti Regno â Prophetis prædicuntur, de carnali interpretantur.

Mahometani ſunt, qui Mahometem ſuum Chriſto, & Alcoranum à Mahomete impoſtore, adjuvantibus illum Neſtoriano Monacho & Ariano quodam, ex Ethniciſmi, Judaiſmi, Manichæiſmi, Arianiſmi, aliárumque hæreſium cloacis, conflatum, S. Scripturæ anteferunt.

Diſſimulati hoſtes ſunt, Pſeudochriſti, vel Antichriſti.

Pſeudochriſti ſunt, qui ſe pro Chriſto venditant.

Ut Simon Magus, Barcochab, Moſes retenſis, David Georgius, et ſimiles.

Antichriſti communiter omnes hæretici dicuntur: ſingulariter verò & κατ' ἐξοχὴν Antichriſtus ille magnus.

1 Ioan. 2. 18. *Pueruli, ultimum tempus adeſt, & ſicut audiviſtis Antichriſtum venturum, etiam nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe*, et 1. Epiſt. cap. 4. 3. *Quicunque ſpiritum non confitetur, Ieſum Chriſtum in carnem veniſſe, ex Deo non eſt: ſed hic eſt ille ſpiritus Antichriſti, de quo audiviſtis, eum venturum, & jam in mundo eſſe.*

Hæretici ſunt, qui dogma aliquod fundamentum fidei Chriſtianæ directè, aut per neceſſariam conſequentiam convellens, pertinaciter, adverſus demonſtratam veritatis lucem, propugnant.

CANONES,

Canones.

I. *Non quilibet error facit hæreticum.*

Aut enim erratur in fundamento: ut tit ab Arianis et Marcionitis, quorum illi Deitatem, hi vero humanitatem Christi negant: aut circa fundamentum, qualiter errant Pontificii, docentes transubstantiationem, quâ naturæ humanæ Christi veritas tollitur: aut præter fundamentum, quales errores à Paulo fœno, ligno, &c. assimilantur, 1 Corinth. 3. 21.

II. *Hæreticum facit, aut circa fundamentum.* 1, *Error in fundamento* 2. *Convictio.* 3. *Contumacia.*

III. *Non omnis schismaticus est hæreticus.*

Schismaticus est, qui salvo fidei fundamento, à ritu aliquo Ecclesiæ peculiariter et ambitionis studio discedit.

Antichristus ille magnus est, qui sub Vicarii Christi nomine summus ejus hostis existit.

Canones.

I. *Antichristi vox non unius tantum personæ, sed statûs est seu ordinis hominum in eodem quasi Regno sibi succedentium.*

Perinde ut vox summi Sacerdotis. Nonopponitur igitur Christo ut persona personæ, ratione substantiæ: sed opponitur ei respectu qualitatis seu officii.

II. Pa-

11. *Papanis Antichriſtus eſt homo ſingularis, numero unicus, ex Judæis quidem tribu Dan oriundus, Judæorum Meſſiam & Religionis ipſorum ſe Inſtauratorem venditaturus, Hieroſolymæ tribus annis & ſex menſibus regnaturus, cum Elia & Enocho pugnaturus, aſſenſionem in cœlum in Oliveti monte paraturus, ſed à Chriſto interficiendus.*

111. *Nos verò, ex Scripturæ ſententia, deſcribimus Antichriſtum hoc pacto, quod ſit, 1. Homo uno quidem tempore unicus, ſucceſſu vero temporis hominum in eodem ſtatu ſibi ſuccedentium ordo. 2. A Satana excitatus. 3. Nominetenus Chriſtianus. 4. Re ipſa Chriſti adverſarius. 5. Sedens in templo Dei ut Deus. 6. Regnans in civitate magna, dominium exercente in Reges terræ. 7. Miraculis mendacibus terræ incolas ſeducens. 8. Characterem ſuis imprimens. 9. Plenus idololatria, ambitione, avaritia, crudelitate & impuritate. 10. Revelatus ultimis temporibus. 11. Conficiendus ſpiritu oris Chriſti, deſtruendus à propriis amaſiis, & penitus abolendus illuſtri Chriſti adventu.*

Hic

His probatis facile in fumum abibit Pontificiorum descriptio. 1. Non unica singularis persona est, sed series sibi ordine succedentium, ut manifestè patet ex tempore Antichristo definito, quòd inde à tempore Pauli & Ioannis, quo mysterium hoc se jam exseruit. 2. Thess. 2. 7. 1. Ioa. 4. 3. usque ad Christi adventum sese extendit, 2 Thes. 2. 8. Unde & figmentum de tribus annis & dimidio corruit. 2. A Satana excitatus est. 2. Thessal. 2. 9. *Adventus ejus cum efficacia Satanæ* Apoc. 13. 4. *Draco ei potestatem dedit*: cum aliàs Magistratus divinitus excitentur, Rom. 13. 2, 3. Nomine tenus Christianus, 2 Thessa. 2. 4. *Sedet in Templo Dei*, 4. Christi adversarius, 1 Joan. 4. 3. *Negat Christum in carnem venisse*, nempe per consequentiam dogmatum suorum. Apocal. 13. 11. *Cornua similia agni habet*, quod Christi est sibi arrogando. *Apocal.* 17. 14. *Militat contra Agnum*, & 19. 19. 20. 8. 5. Sedet in templo *Dei*, 2 Thess. 2. 4. Non utique Hierosolymitano, sine spe restitutionis vastato, *Dan.* 2. 26. 27. Sed in Ecclesia, *qua Dei templum est*, 2 Corinth. 6. 16. *Sedet* autem i, e. règnat, Apoc. 18. 7. *Sedeo Regina. Sedet ut Deus & efferens se super omne, quod Deus aut Numen dicitur*, 2 Thessal. 2. 4, 6. Regnat in civitate magna, cujus typus est *Bestia septem capita & decem cornua habens, sedens super aquas multas.* Ubi *septem capita, septem montes & septem Reges*, seu formas regnandi, per metonymiam, *decem cornua, decem Reges, & aquæ, populos multos & nationes significant*, Apoc. 17. 1. &c. 7. *Miracula* prædicantur, 2 Thess. 2. 9. *Prodigia mendacia*, Apoc. 13. 14. *Edit signa magna, adeò ut etiam ignem faciat è cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seducit incolas terræ, &c.* & vers. 15. *Datum est ei, ut animaret imaginem Bestiæ, ut etiam loquatur, &c.* 16. *Facit ut omnes parvi & magni, &c. accipiant characterem in manu sua dextra aut in frontibus suis. Et ne quis possit emere aut vendere, nisi qui habet characterem aut nomen Bestiæ, aut numerum nominis ejus, &c. Et numerus ejus sexcenta sexaginta sex*, Apoc. 13. 16, 17, 18, 19. Idololatria, more Scripturæ familiarissimo, *meretrice*

adumbratur, Apoc. 17. 1. Ambitio, ex loco ad Thess. patet. Avaritia *mercatura quæstuosa* notatur, Apoc. 18. 11. Crudelitas *bestia ebria sanguine martyrum.* Apoc. 17. 6. Impuritas *peccatis accumulatis usque ad cælum pertingentibus*, Apoc. 18. 5. Imo hæc in universum, mystico nomine *Sodomæ, Ægypti, Babylonis & Hierosolymæ* (in qua Christus, mysticus scilicet, id est, Christus in membris crucifixus est) nomine perstringitur, Apoc. 11. 8. & 14. 8, 10. Revelatio ultimis temporibus fieri debuit, *sublato eo, qui obstabat.* 2. Thess. 2. 7, 8. hoc est, Imperatore Romano, quamdiu enim Romæ fuit, obstitit ille, quo minus manifestaretur Antichristus. 11. *Destructionis* duo sunt gradus primum *consicietur Spiritu oris Christi.* 2 Thes. 2. 8. hoc est, *radio verbi ex ore ejus prominente*, Apoc. 19. 21. cujus hic erit effectus, ut animadversa Antichristi fraude, meretricis amasii, *eam persequantur, deserant, denudent, carnem ejus devorent, & ipsam igne exurant*, Apocalyps. 17. 16. Secundo, *abolebitur illustri Christi adventu*, 2 Thessal. 2. 8, in quo *conjicietur in stagnum ignis ardentis sulphure* Apocal. 19. 20.

IV. *Hæc descriptio non tantum quid, sed & quis sit magnus ille Antichristus, ostendit. Cui enim competit definitio, ei quoque definitum. At qui Papæ competit definitio. Ergò & definitum ipsum.*

Minor inductione seu applicatione singulorum membrorum probatur. 1. Primum membrum extra controversiam est; nemo enim ignorat, Pontificum ejusmodi alii succedere. 2. Secundum membrum cum ex effectis eius, tum ex illorum exemplo imprimis manifestum est, qui malis artibus ad sedem illam pertigerunt, ut Alexander VI. Sylvester II, Benedictus IX, de quibus videatur Platina & alii Pontificii Scriptores. 3. Professione, Papa utique se Christianum esse non negabit. 4. Adversarium Christi esse & cornua sibi, Agni cornibus similia, fabricare, manifestum est, quia sibi officium eius Prophetieum,

Sacerdotale & Regium, una cum titulis summi Pontificis, Principis Pastorum, Capitis & iponsi Ecclesiæ, &c. arrogat; imò Verbum ejus, ut non necessarium, obscurum, cereo naso simile, explodendo, eique suas traditiones æquando & anteferendo, Propheticum: Sanctorum merita, Mariæ & Sanctorum intercessionem ac meritum urgendo, Sacerdotale; & potestatem quidvis in Ecclesia pro lubitu agendo, jactando, Regium Christi officium planè convellit. Quòd si vitam Papæ cum vita Christi, illius fastum cum hujus humilitate, illius doctrinam cum hujus doctrina de Libero Arbitrio, de Justificatione, de Sacramentis, & aliis similibus articulis conferas, patebit, non ignem aquæ magis contrarium esse. 5. Quod in Templo, hoc est, Ecclesia Dei, quæ templum Dei est, ut suprà demonstratum, sedeat; res ipsa loquitur. Nec verò Romana Ecclesia, quatenus Papana Ecclesia, seu Templum dicitur: sed, 1. Quatenus vera Christi Ecclesia, Joannis tempore adhuc fuit. Et hac ratione olim Templum Hierosolymitanum, Templum Dei dictum est, quantumvis in latronum speluncam esset conversum, Jerem. 7. vers. 11. II. Quatenus Deus etiamnum illic suos electos habet. Natus est in Ecclesia, & sedet in illa, non ut germanus Ecclesiæ filius, sed ut monstrum, ut tuber, struma, & cancer corpori inhærens. Porrò, quod illic ut Deus sedeat, tituli, quos ei assentatores tribuunt, satis evincunt. Hominem esse negant, ideoque (titulo Christi, Isaiæ, 9. vers. 7.) *admirabilem* nominant, Gloss. de Elect. cap. fundament. Item, *Dominum Deum suum*, De concess. præb. c. proposuisti. Leoni X. in Concilio Lateranensi acclamatum est: *Tibi data est omnis potestas in cœlo & terra.* Sed & supra Deum se effert, non solum Magistratibus, qui denominantur, & imprimis Imperatori tanquam Lunæ, se tanquam Solem anteponendo, sed & sua placita Dei verbo, sicque sipsum Deo præferendo. 6. Eam urbem occupat, quæ septicollis est, & septem Reges habuit. Romam septicollem esse, totus Mundus novit. Septem Reges vero sunt metonymicè septem regnandi formæ quas Roma ante

ante Papatum habuit, Regnum putâ, Consulatus, Dictatura, Tribunatus plebis, Decemviratus, Tribunatus militum, & Imperium. Ex quibus ait Angelus cap. 17. v. 10. *quinq; jam ceciderunt*, nempe Regnum, Dictatura, Tribunatus plebis, Decemvitatus & Tribunatus militum. *Unus*, inquit, *est*, nempe imperatorcum Consulibus, qui etiam sub Imperio manserunt, inquit ait, quinque, hi sex, ceciderunt. *Et alius nondum venerat*, ibid. v. 10. nempe Papa. *Et ipse ex septem, & octavus est*, ibid. vers. 11. Octavus, respectu septem antecedentium: Ex septem: quia omnium septem regnorum potestas, tyrannus, idololatria, &c. in Papatum tanquam sentinam confluxit. *Erat*, inquit Angelus ad Joan. vers. 8. *non est, & tamen est. Erat* bestia seu Roma: nempe sedes septem Regum *Non est*: sedes Antichristi, tum nondum patefacti. *Et tamen est* sedes nimirum Imperatoris, Joannis tempore regnantis. Hæc tam apposite Romæ accommodantur, ut etiam Iesuitarum nonnulli fateantur Romam esse Bestiam illam. 7. *Miracula* quod attinet, nihil in Papatu frequentius, quàm gloriatio de miraculis. At qualia! Mendacia sunt. *Ignem è cœlo descendere facit*, hoc est, fulminibus excommunicationum, ignem iræ divinæ è cœlo arcessit, inque ejus rei signum Reges & Principes excommunicaturus, candelas ardentes, de Capitolio dejicit. Quod si quis literalem spectet interpretationem, Hildebrandus ignem ac scintillas ex manica excussit, & sæpius ignem Sanctorum precibus, de cœlo impetratum fuisse, in Legendis suis memorant. *Sed imaginem quoque Bestiæ animat, ac loquitur. Imaginis* nomine, Idololatria intelligitur, cujus introductionem, Gentium idololatria quasi ex inferis suscitata, animata & instaurata fuit. Sed & literalis sensus locum habet: notissimum enim est, Papanos idolis suis risum, fletum & sermonem tribuere. In Legenda Thomæ legitur, quod cum tertiam partem Theologiæ suæ, Christi imagini proponens, quæsivisset rectè ne, scripserit? Imago respondit, *Bene de me scripsisti, Thoma.* 8 Characterem suis imprimit. Christum simiæ instar imitatus, qui suos in fronte signat Apoc. cap. 7. v. 5. &c.

Cæterum Character, Nomen & Numerus Bestiæ idem sunt nomen, videlicet numerum 666. in se complectens. Nomen illud Irenæo, Polycarpi (qui Joannem Præceptorem habuit) discipulo, est Ἀατεῖνος, cuius literæ numerum 666 exactè exprimunt.

A	30
α	1
τ	300
ε	5
ι	10
ν	50
ο	70
ς	200
	666

Accommodatissimum sanè nomen: siquidem in Italia dominatur, in qua olim Latinorum erat Regnum. Latina Biblia fontibus præfert. Latinè Ministri eius cultum sacrum administrant. Latine Bullas suas scribunt, &c. Imprimit autem characterem suis generaliter in frontibus & dextra manu, quatenus apertâ professione (cuius symbolum *frons* est) & actionibus (quarum figura *dextra* est) restari cogantur, se ad Ecclesiam Latinam & Romanam pertinere. Specialiter autem characterem suis imprimit, non tantum in Baptismo, crucem os signando, sed & in confirmatione, chrisma frontibus illiniendo, & in Ministrorum ordinatione, caput & digitos illorum ungendo. 9. De idololatria & reliquis vitiis legatur Paparum historia, plura enim memorare, huius instituti ratio non permittit. 10. Revelatio facta est circiter annum Christianissimum. Ex quo enim Imperator Constantinus Magnus Constantinopolim ingravit, Sylvester Palatium occupavit, à quo tempore adeo invaluit Episcoporum Romanorum insolentia, ut circiter annum Christi 595, inter Gregorium Magnum & Ioannem Constantinopolitanum acerbissima de primatu viguerit contentio. Tandem Bonifacius III. ab Imperatore Phoca parricida & tyranno obtinuit, ut Ecclesia Romana omnium aliarum caput esse, ipseq; Episcopus universalis salutaretur. 11. Destructionem ejus quod attinet; quantum Evangelii verbo ejus potestati detractum sit, et quot Reges ab eo alienati, testatur eventus. Cætera patienter expectanda sunt.

v. Re-

v. *Rex locuſtarum cum illorum examine, ex puteo abyſſi excitato, Antichriſti, & Clericorum, Monachorum & ſimilium ordinum figura eſt, Apoc. 9. 1, 11.*

vi. *Duplex Beſtia, Apoc. 13. unius ejuſdémq; Antichriſti figura eſt. Prior ſepticeps è mari aſcendens, & truculenta eum depingit, qualis in rei veritate eſt. Poſterior, Agno ſimilis, cum adumbrat, qualis appareat per impoſturam.*

vii. *Draco Beſtia, & Pſeudopropheta (idem enim his nominibus indigitatur) tres impuros ſpiritus, ranis ſimiles emittens, ſpiritus dæmoniorum dictos, ſigna edentes & totum Mundum ad prælium inflammantes, Apoc. 16. 13, 14. cujus rei figura ſit, adeò clarè eventus ipſe docet, ut cæcus ſit, qui id non videat.*

viii. *Beſtia cap. 17. v. 1. & ſeqq ſedem Antichriſti; Meretrix ei inſidens, Eccleſiam Antichriſtianam notat.*

Hæc ideo fuſius tractavi, quia ut Chriſtum, ſtà Antichriſtum cognoviſſe, magni refert. Et quæ paucis propoſita ſunt, ad intelligendum librum Apocalypſeos non parum faciunt.

CAPUT XXVIII.

In quo

De Vocatione ſpeciali.

SIc fuit Vocatio electis & reprobis communis. Nunc Specialis ſequitur, quæ ſolis Electis contingit.

Est autem hæc Vocatio, qua Deus electos, in se adhuc miseros & corruptos, extrinsecus Verbo Euangelii, intrinsecus autem mentis illuminatione & cordis mutatione vocat ad participandam salutis gratiam.

CANONES.

I. *Appellatur in Scripturis*, Nova Creatio, (*a*) Regeneratio, (*b*) Tractio, (*c*) institutio divina, (*d*) & Resuscitatio. (*e*)

(*a*) Ezech. 26. 26. *Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio vestri. Et auferens cor lapideum è carne vestra, indam vobis cor carneum.* 2. Cor. 4. 6. *Qui dixit, ut è tenebris lux splendesceret, is est qui splenduit in cordibus nostris, ad præbendum lumen cognitionis gloriæ Dei in facie Jesu Christi.* (*b*) Ioan. 3. 3. *Nisi quis fuerit genitus denuo, non potest videre regnum Dei.* (*c*) Ioan. 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum* (*d*) Ioan. 9. 45. *Scriptum est in Prophetis: Erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* (*e*) Ioan. 5. 25. *Amen, amen dico vobis, Veniet tempus, & nunc est, cùm mortui audient vocem Filii Dei, & qui audiverint, vivent.*

II. In *Scholis nominatur* Electio actualis, Vocatio efficax, & Vocatio interna.

Electio actualis nominari potest, quia hac Deus decretum electionis exequitur. *Quos enim prædestinavit eos vocavit*, Rom. 8. 30. Sic Ioan. 15. 19. *Elegi vos ex mundo. Efficax* autem *vocatio* dicitur, respectu vocationis reproborum, quæ ipsorum vitio ad salutem inefficax existit. Sic *interna* nominatur, quia reproborum vocatio, aut tantum extrinsecus verbo fit: aut, si maximè intrinsecus quoque aliquo modo illuminentur, aut afficiantur, mutatio tantum temporaria existit.

III. *Causa*

III. *Causa efficiens princeps vocationis est Deus; impulsiva gratuita ejus Misericordia; instrumentalis Verbi Ministerium.*

2 Tim. 1. 9. *Qui servavit nos, & vocavit vocatione sanctâ; non ex operibus nostris, sed ex proposito & gratiâ quæ data est nobis in Christo Iesu, ante tempora seculorum.* 2 Thes. 2. 14. *Qui vocavit vos per Evangelium nostrum.*

IV. *Materia seu objectum Vocationis, est homo electus, sed in se adhuc miser, animalis, carnalis, peccator, alienatus à vita Dei, imò mortuus in peccato.*

Eph. 2. 1. *Et vos unà vivificavit cùm essetis mortui in offensis & peccatis,* Col. 2. 13. *Vósque mortuos in peccatis vestris, cum eo vivificavit,* Tit. 3. 3. *Eramus quondam & nos amentes, non obedientes sermoni, seducti, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, in malitia & invidia degentes, odiosi, alii alios odio prosequentes.*

V. *Errant igitur Semipelagiani, homini seu præparationem, seu propensionem ad vocationem acceptandam tribuentes.*

Ratio ex dictis suprà citatis apparet: quàm enim nihil homo mortuus ad sui suscitationem conferre potest: tam nihil quoque homini in Vocatione sua tribuendum.

VI. *Nec tamen homo se ad Vocationem ut truncus habet: est enim idoneum Vocationis subjectum, cum non leo, non canis, sed creatura ratione prædita sit. Interim tamen ratio hominis, priusquam illuminetur, nihil ad Vocationem juvat.*

VII. *Absurdè hæc Vocationis gratia ad omnes homines extenditur: cum nè quidem communis*

Vocatio, de quâ suprà, omnibus hominibus contingat: ut tota Veteris Testamenti historia docet; quippe quo Gentibus relictis tantùm Judæi vocati sunt.

VIII. *Forma; in gratiosa hominis, imprimis autem mentis & cordis immutatione consistit, quâ non solum mens illuminatur, sed & corda nostra lapidea, carnea redduntur, seu ad obedientiam flectuntur.*

Apparet hoc luculenter ex superioribus dictis, cum primis, Ezechiel. 36.

IX. *Falsò igitur novatores Arminiani docent, intellectum quidem cognitione imbui, & affectus irresistibiliter excitari, voluntati vero liberum relinqui, ut credat, aut non credat: potentiam credendi dari gratiâ irresistibili; sed actum credendi non item.*

Cui errori manifestè repugnant, quæ de cordis immutatione Deus pronunciat, Ezek. 36. 26. Sic Christus quoque non tantum electos à Deo discere & audire, sed quotquot didicerunt, ad se venire testatur, Ioan. 5. 44.

X. *Irresistibilis planè est Vocationis gratia, non quidem corruptæ nostræ naturæ respectu quæ lapide durior est; sed respectu Spiritûs S. per quem electos suos sic trahit, ut inevitabiliter sequantur.*

XI. *Hæc autem tractio nequaquam violenta est, nec libertati voluntatis naturali repugnat, voluntas enim naturâ suâ corrupta ad malum tantum proclivis, à Spiritu S. tacta protinus latè sequitur.*

Talis

Talis tractio est, cum pastor viridi ramo oviculam attrahit, non vi, sed ipsonte sequentem: quamvis hac in re dissimilis sit ratio quod oviculæ naturali inclinatione, homo vero propensione à Spiritu Sancto indita alliciatur. Summa huc redit: Deus extrinsecus quidem vocat, simul autem intrinsecus & mentem illuminat, ut Vocationis præstantiam agnoscat; & cor flectit, ut obtemperet.

XII. *Falso quoque Novatores statuunt, gratiam sufficientem omnibus hominibus dari, non autem actum ipsum gratiam acceptandi, eáque uti.*

Hæc opinio seipsam everrit: si enim non datur gratia credendi quoad actum, tum gratia non est sufficiens: siquidem nemo servatur nisi credat. Fatemur quidem, communem quoque vocationem sufficientem esse ad eripiendum reprobis excusationem: verum non ad salutem. Quo sensu Deus Esa. 5.4. inquit, *Quid facerem amplius vineæ meæ, quod non fecerim in ipsa.*

XIII. *Absurdè Pelagiani per gratiam Vocationis naturales vires intelligi docent.*

Nusquam enim Scriptura *gratiæ* vocabulo sic utitur: sed aut gratiam gratum facientem, aut gratiam gratis datam intelligit. Ephes. 1. 6. *Ad laudem gloriosæ suæ gratiæ, quâ nos gratis efficit sibi gratos in illo dilecto,* Rom. 12.6. *Habentes autem varia dona, pro gratia, quæ data est nobis.*

A. R. Absurde Pelagiani per gratiam vocationis naturales vires intelligi docent. Est utique hoc verissimum, si vocabulum gratiæ restrictè accipiamus, prout in SS. Scripturâ usurpari

solet pro gratiâ vocationis, iustificationis aut salvationis per Christum; quæ neque pars, neque effectus, neque proprietas est naturæ, sed alterius planè generis: *naturâ enim sumus filii iræ*, teste Apostolo, sed *per gratiam salvamur*. Idem proclamat, *per gratiam sum, id quod sum; non ego, sed gratia dei mecum*, 1 *Cor.* 15. 10. absque me, inquit Christus, nihil potestis. *Quid habemus quod non accepimus?* ex nobis non possumus bonam ullam cogitationem suscipere, uti refert Paulus: Hic opponuntur inter se & longissimè distant Gratia atque Natura: at verò est ubi quis, latiore sensu dicere poterit Gratiam naturalem, & naturam esse ex Gratiâ; constat illud, quia quicquid perficit naturam naturale dici potest: atqui talis est gratia. 2. Quicquid est in naturâ tanquam subjecto, naturale est; atqui natura gratiæ subjectum est. 3. Quicquid in mundum unà cum corpore afferimus, illud est naturale: ita peccatum naturale est, & morbi etiam hæreditarii, quia nascentibus ingenerantur: ita Adami justitia originalis dicitur naturalis: quo vocabulo appellantur & perfectiones angelorum universim omnes, quia cum iis unà conditæ erant. Ita sanctitas illorum, qui in SS. literis dicuntur ab utero sanctificati, dici poterit naturalis.

E contra, poterit natura gratiæ vocabulo appellari, quicquid enim non est ex debito, ex gratiâ censetur: hujusmodi sunt omnes facultates naturales, atque functiones; ex Gratiâ enim est, quod vivimus & movemur, et in Deo nacti sumus existentiam, qui est prima & universalis causa, sine cujus influentiâ causæ secundæ atque sub-

subordinatæ nihil possunt; ideo fit ut etiam propter functiones atque facultates naturales quales sunt Cibatio, potatio, somnus, vita, sanitas, &c. gratias agere debeamus, atque easdem nobis quàm diutissimè continuari atque servari precemur, quod tamen non esset officii nostri, si debita foret earundem collatio atque conservatio, & non usquequaque gratuita. Verum gratia salvifica perinde distinguitur a naturâ, ac vestimentum à corpore, potest alterum amitti, altero sospite atque incolumi: quo modo Patres cum de Justitiâ Originali Adami verba faciunt, dicunt eum nudum evasisse atque vestimento exutum.

XIV. *Finis Vocationis, est Dei gratia, & Electorum salus.*

XV. *Tempus vocationis Baptismo non est adstrictum, alios enim ante aptismum, alios in Baptismo, alios post Baptismum Deus vocat.*

Sicut Abraham etiam ante circumcisionem vocatus & justificatus erat, Rom. 4.

XVI. *Patet ex his, quæ differentia sit Vocationis communis & specialis. Illa sæpe tantum externa est: hæc interna existit. Illa si maximè intrinsecus quoque in reprobis operetur, radio saltem cognitionis salutis mentem illustrat, & gaudio cor, non nisi momentaneo, afficit: hæc verò mentem plenâ luce irradiat, & cor non gustu tantùm, sed vero sensu quoque donorum spiritualium, adeòque vero & constanti gaudio perfundit. Illa amitti potest: hujus verò dona & gratia amitti nequeunt.*

De communi Vocatione hæc dicta sonant: Matth. 13. 20. *Qui verò in petrosa semen excepit, is est, qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio excipit. Non habet autem radicem in se, sed temporarius est*, Hebr. 6. 4, 5, 6. *Fieri non potest, ut, qui semel fuerint illuminati, gustaverintque donum illud cœleste, & participes facti Spiritus sancti, gustaverintque bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, prolabantur, ut denuo renoventur ad resipiscentiam.* De speciali vero Vocatione Paulus, Rom. 11. 29. *Nam dona illa & illa vocatio Dei eiusmodi sunt, ut eorum ipsum pœnitere non possit.*

CAPUT XXIX.

In quo

De fide salvifica.

VOcationis specialis effecta immediata sunt, aut mediata.

Immediatum effectum, est fides salvifica.

Est autem fides salvifica, Vocationis donum, quo homo electus promissiones gratuitas de Christo, ex evangelio agnitas sibi applicat, iisque suavissimè acquiescit.

CANONES.

1. Fidei *vox quinque in Scriptura significata habet; aut enim fides metonymicè pro sana doctrina accipitur, quæ non est fides, quâ credimus, sed quam credimus: (a) aut fides historica: (b) aut temporaria: (c) aut fides miraculorum: (d) aut fides salvifica intelligitur. (e)*

(a)

(a) 1 Tim. 1. 19. *Retinens fidem & bonam conscientiam, quâ expulsa nonnulli fidei naufragium fecerunt* (b) Iac. 2. 19. *Tu credis, Deum unum esse, benefacis; & Dæmonia credunt, sed horrescunt.* Hæc fides igitur, quæ in nudo assensu consistit, reprobis & electis communis est: (c) Matth. 13. 20. *Qui semen in petrosa excepit, is est qui sermonem audit, & eum statim cum gaudio excipit. Non habet autem radicē, &c.* (d) Mat. 17. 20. *Si habeatis fidem, quantulum est granum sinapi, dicetis monti huic, transgreditor hinc illuc & denigrabit,* Hæc certo tantum tempore concessa, et reprobis quoq; data est, ut Judæ exemplo patet, cui donum miracula edendi cum reliquis datum est, *Math.* 10. 8. (e) Salvifica vero et electis propria est, quam supra definivimus.

11. *Causa ejus efficiens princeps, est Deus; impulsiva vero, est eadem gratia, quâ electi & vocati sumus.*

Act. 13. 48. *Et crediderunt, quotquot erant ordinati ad vitam æternam.* Rom. 11. 7. *Electio consecuta est, reliqui vero occaluerunt.*

111. *Gratuitum itaque donum est fides, non tantùm quòd illam non promeriti simus, sed quòd infundatur quoque nobis per Spiritum sanctum.*

Contra Socinum, qui fidem, non quod à Spiritu S. immittatur, sed quod illam nemo meritus sit, Gratuitam nominat. *At fidem donum Dei esse, patet ex Philip. 1. 29. Quia vobis datum est in Christi negotio, non solum in eum credere, sed etiam pro pati.*

IV. *Causa instrumentalis, quâ nobis fides datur, in adultis ordinariè est Dei Verbum,*

Rom. 10. 17. *Fides est ex auditu, auditus per Verbum Dei.*

V. *Non igitur sola Evangelii prædicatio est causa fidei, sed quatenus conjuncta est cum efficacia Spiritus sancti.*

Act. 16. 14. *Lydiæ cor Dominus adaperuit, ut attenderet iis quæ dicebantur à Paulo.*

VI. *Materia, quæ objecti rationem habet, communiter quidem Dei verbum est, propriè verò, gratuitæ promissiones in Christo fundatæ.*

Pontificii hoc posterius membrum negant, contra manifesta Scripturæ loca, Rom. 3. 22. *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes qui credunt:* & vers. 25. *Quem proposuit ut esset placamentum per fidem in sanguine ipsius:* & cap. 10. 9. *Si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quòd Deus eum suscitavit à mortuis, servaberis.*

VII. *Forma fidei docendi causâ tribus partibus describi solet, notitiâ, assensu, & fiduciâ.*

Notitia, est eorum cognitio, quæ ad salutem necessaria sint. Assensus est, quo firmiter creditûr, vera esse, quæ verbo Dei traduntur. Fiducia est, quâ quisq; fidelium sibi promissiones Euangelicas applicat.

VIII. *Notitia & assensus fidei historicæ cum salvifica communis est, fiducia verò huic propria existit.*

Fiducia nominatur ab Apostolo πεποίθησις, & προσαγωγὴ, Ephes. 3. 12. 1 Thes. 1. 5. *Fiduciæ* autem nomine, vel apprehensio & applicatio Christi cum ejus beneficiis, vel placatio conscientiæ intelligitur. Priore modo forma; posteriore sensu effectus est fidei.

IX. *Implicita igitur fides, quâ cæco assensu creditur, quo Romana Ecclesia credit, nulla est.*

Fides sine notitia esse nequit. 1. *Quia est ex auditu: auditus autem per verbum Dei*, Rom. 10. 17. II. *Quia sapientia est, quâ Deus cognoscitur*, Esa. 53. 11. Ier. 31. 34. Ioan. 6. 69. & 17. 3. 1 Cor. 1. 21.

X. *Nec melior, quam historica fides est, quæ cum firma fiducia non est conjuncta.*

Papani fidem tantum in intellectu esse docent. In voluntate & corde non item. Scriptura vero apertè contrarium statuit, Roman. 20. 23. *Corde creditur ad justitiam.*

XI. *Fiduciæ tamen firmitatem non eam docemus, quæ nullis cum dubitationibus luctetur, sed quæ dubitationibus non finaliter succumbat.*

XII. *Effecta seu actus fidei, maximè proprios quod attinet rectè à Paulo ὑποστάσις, seu subsistentia eorum quæ sperantur, & elenchus seu demonstratio eorum quæ non cernuntur, dicitur,* Heb. 11. 1.

Proprium sanè fidei est, futura & nondum existentia sibi facere præsentia. Sicut *Abrahamus diem Christi vidisse* dicitur, Ioan. 8. 56.

XIII. *Subjectum fidei, sunt electi vocati.*

De infantum fide in doctrina de Baptismo actum est.

XIV. *Fidei gradus sunt non in diversis tantùm hominibus, sed in eodem homine, ut aliàs firmior, aliàs infirmior existat, sic tamen ut nunquam penitus amittatur.*

Esa. 42. 3. *Arundinem quassatam non confringet, & lychnium fumigans non extinguet.* Philip. 1. 6. *Persuasum habeo, fore, ut qui inchoavit in vobis bonum opus, perficiat illud usque ad diem Jesu Christi,* Heb. 12. 2. *Intuentes in fidei ducem ac consummatorem Jesum Christum.*

CAPUT

CAPUT XXX.

In quo

De Justificatione.

Effecta Vocationis mediata & ex fine promanantia, sunt tum Justificatio & Sanctificatio; tum Salutis certitudo & Christiana libertas.

Justificatio est actio Dei gratuita, quâ electi propter plenissimam Christi satisfactionem á peccatis absolvuntur, & justi ac vitæ æternæ hæredes pronunciantur.

CANONES.

1. *Justitia in Scripturis aut causæ est, aut personæ. Causæ justitia est, quâ homo, alioquin peccator, in certo aliquo negotio, innocens aut justus dicitur. Personæ justitia est perfecta, vel inchoata. Perfecta*, Legalis *dicitur, quatenus Lex eam efflagitat; &* Evangelica, *quatenus eam Evangelium in Christo ostendit. Inchoata est, quam Spiritus sanctus in fidelibus in hac vita inchoat, in altera vero perficit. Justitia igitur Christi perfecta, Justificationis: inchoata vero, Sanctificationis est donum.*

11. *Justificare, hoc in loco, non est supplicio afficere, aut justitiam inhærentem infundere, ut volunt Pontificii: sed, forensi significatione, est à peccato absolvere & justum pronunciare.*

Prov.

Prov. 17. 15. *Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominationi sunt Iehovæ æquè ambo.* Esa. 5. 23. *Iustificantibus impium, & iustitiam iustorum abiudicantibus,* Matth. 11. 19. *Iustificata est Sapientia à filiis suis,* Luk. 7. 29. *Hoc audito, totus populus & publicani iustificarunt Deum,* Luc. 10. 29. *Ille autem volens iustificare seipsum.*

III. *Causa Efficiens iustificationis activè intellectæ, est tota SS. Trinitas.*

2 Cor. 5. 19. *Deus erat in Christo Mundum reconcilians sibi,* 1 Cor. 6. 11. *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini Iesu, & per Spiritum Dei nostri.*

IV. *Causa ejus* Προηγουμένη, *est mera gratia, seu gratuitus Dei favor.*

Hunc enim gratuitum favorem, & non gratiam infusam intelligi apparet ex his testimoniis, Rom. 3. 24. *iustificantur autem gratis, id est, ejus gratiâ,* Eph. 2. 8. *Gratiâ illâ estis servati per fidem, id quidem non ex vobis, Dei donum est,* Tit. 3. 4, 5. *Sed postquam benignitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, non ex operibus, quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia servavit nos &c.*

V. *Causa* Προκαταρκτικὴ, *est Christus* Θεάνθρωπος.

Christus ut Dei Filius iustificationis causa efficiens est communiter cum patre et spiritu Sancto, ut vero Θεάνθρωπος et Mediator noster exstitit, causa προκαταρκτικὴ est, quia hoc donum nobis merito suo impetrat.

VI. *Causa ejus instrumentalis est Verbum Evangelii.*

Est enim potentia Dei ad salutem cuivis credenti, Roman. 1,

VII. *Iusti-*

VII. *Justificationis passivè sumtæ, respectu hominis qui justificatur, nulla causa est, nisi instrumentalis, fides.*

VIII. *Phrasis hæc,* fide justificamur, *metonymica est, & æquipollet huic,* merito Christi fide apprehenso justificamur.

IX. *Sola fides justificare dicitur respectu operum, quæ quidem sunt effecta fidem consequentia, sed non sunt causæ justificationis; non enim præcedunt justificandum, sed sequuntur justificatum.*

Etsi particula hæc, *sola*, totidem literis & syllabis, in Scriptura non extet, synonymis tamen formulis exprimitur. Quales sunt *sine operibus, gratis, gratiâ*, Rom. 3. 24, 27, 28. *Non ex fide per fidem*, Eph. 2. 8. Gal. 2. 16. Etsi igitur fides sola non sit, sed cum operibus conjuncta, sola tamen justificat: sicut Sol non solus est in cœlo, sed tamen solus diem efficit.

X. *Fides non tanquam opus, aut dignitate suâ, sed tanquam instrumentum Christum apprehendens justificat.*

Pontificii concedunt, fide nos justificari, sed fidem hoc in negotio ut opus considerant: At vero quicquid Scriptura fidei tribuit, hoc ei tribuit proter id, quod fides apprehendit; sicut annulus aureus magno pretio æstimatur propter inclusam gemmam. Atque hinc patet, quam pulchre concordent Scripturæ loca, quibus nunc gratia, nunc Christi merito, nunc fide justificari dicimur. Justificamur enim Dei gratiâ propter meritum Christi fide apprehensum.

XI. *Materia Justificationis activè sumta, est tota Christi satisfactio, quâ & peccatis nostris pœnas debitas persolvit, & obedientiam Legi perfectam præstitit.*

Satis-

Satisfactionem Christi non in passione tantùm, sed & in actuali Christi obedientia positam esse, suprà cap. 18. evicimus.

XII. *Materia ejus passivè acceptæ, est homo in se quidem miser, à Deo tamen electus, vocatus & fide donatus. Etsi igitur vocatio fide, & fides justificatione naturâ sit prior, tempore tamen non differunt.*

Quan primum enim homo efficaciter vocatur, fide donatur, fideque iustificatur.

XIII. *Forma ejus activè intellectæ, est totius satisfactionis Christi imputatio, quæ tota quoque nostra est, non secus ac si ipsi eam præstitissemus.*

Iustitia, quæ credenti imputatur inhæsivè est in Christo, imputativè in nobis. Negant Adversarii, de hac imputatione uspiam scripturam testari. Sed quid clarius sequentibus locis? Roman. 4. 6. *Sicut David beatum declarat hominem, cui Deus imputat justitiam absque operibus &c.* Philip. 3. 8, 9. *Omnia duco pro stercoribus, ut Christum lucrifaciam, & comperiar in eo, non habens meam justitiam quæ est ex Lege, sed eam quæ est ex fide Christi, i. e. justitiam, quæ est ex Deo per fidem.* Imprimis autem hoc docet antithesis, quâ Christo peccata nostra, nobis vero justitia ejus imputari dicitur. 2 Corinth. 5. 21. *Fecit, ut qui non novit peccatum pro nobis peccatum esset, ut efficeremur justitia Dei in ipso.* Pontificiis æquè absurdum videtur, nos aliena justitia justos fieri, ac si quis alterius doctrinâ doctus diceretur. Sed dispar est exemplorum ratio: cum homo homini non perinde unitus sit, ut fideles Christo tanquam Capiti suo. Adhæc, Christi Iustitiam sibi imputari nolunt, cum non vereantur statuere hominum mortuorum & Monachorum justitiam sibi imputari.

XIV.

XIV. *Docendi tamen causâ justificationis formæ duobus exprimitur actibus, remissione peccatorum & imputatione justitiæ, seu abjudicatione peccatorum & adjudicatione perfectæ justitiæ.*

XV. *Etsi autem hæc duo beneficia subjecto & tempore sunt eadem: reverâ tamen distincta sunt.*

Differunt enim, 1. Definitione; aliud enim est injustitiæ abiudicatio, aliud justitiæ adiudicatio. Quod ut rectè intelligamus, sciendum est, quid sit discriminis inter hos terminos, *Non Justus & Justus? Injustus & Justus: Non Justus & Injustus. Non Injustus & Justus* contradicentia sunt. *Injustus & justus* privantia partim sunt, partim contraria. *Non Justus & Injustus*; item, *Non injustus & Justus* diversa sunt. Tenendum & hoc, *Injustum & justum* non esse contraria immediata, medium enim est innocens, qui neque injustus, neque justus est. Iam vero cum peccatorum remissio sit injustitiæ abjudicatio, imputatio vero justitiæ sit ejus adiudicatio, illi pro non injustis, seu innocentibus, hac pro Justis habemur. Quis vero non animadvertit, majus encomium esse, justum quoque esse, quàm tantum innocentem, & non tantum nihil mali egisse, sed insuper bonum fecisse? Etsi autem nunc hæc duo in homine non subjecto, sed τῷ λόγῳ tantum differant, olim tamen subiecto quoque differebant: homo enim in paradisum collocatus, innocens fuit, sed non justus: justitiam enim perfectâ demum obedientia consequuturus erat. II. Proximis & propriis causis differunt. Remissionis enim peccatorum causa, est mors & Passio Christi, quâ expiata sunt, Heb. 9. 22. *Absque sanguine non fit remissio*, 1 Ioan. 1. 7. *Sanguis Jesu Christi filii Dei purificat nos ab omni peccato*. Imputationis vero justitiæ causa, est perfecta obedientia

obedientia Christi, Rom. 5. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi; ità per unius obedientiam, justi constituentur multi.* Hanc vero obedientiam esse actualem illam, quæ Legem totam nostro loco implevit, suprà cap. 18. ostensum est. III. Propriis effectis differunt. Remissione enim peccatorum liberamur à damnatione. Rom. 5. 9. *Justificati igitur sanguine, servabimur nunc multo magis per eum ab irâ.* Imputatione autem justitiæ consequimur insuper vitam æternam, Rom. 5. 17. *Qui exundantiam illius gratiæ & donum justitiæ accipiunt, in vita regnabunt, &c.* Utrumque effectum ponitur Galath. 4. 5. *Factus legi obnoxius, ut eos, qui Legi (h. e. maledictioni Legis) obnoxii erant, redimeret, & adoptionem acciperemus.* Jam vero majus beneficium est, mancipium redimere & redemtum insuper adoptare, quam tantum redimere. Maior gratia est, non tantum condonare, sed insuper donare, quàm tantum condonare. Mutila igitur est Justificatio, quâ tantum Passio Christi imputari, quæque in sola peccatorum remissione consistere dicitur.

Varia hic objiciuntur. I. Scripturam multis locis solius passionis aut remissionis peccatorum mentionem facere. Sed non mirum est: quia multis locis Synecdochice loquitur. Satis est, quod se suprà citatis explicet. II. Apostolum has phrases, *Peccata remittere, & justitiam imputare* permutare Rom. 4. 5, 6. tanquam æquipollentes. Verum respondemus, aliud esse enunciationum æquipolentiam, aliud earum consecutionem, quâ una ex altera concluditur: sicut Paulus ex hac Phrasi Davidis, Psal. 32. 2. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c.* hanc colligit, Davidem beatum prædicare eum, *cui imputatur justitia absque operibus.* Ratio consecutionis est, quia si remissio peccatorum est gratuita, tum quoque imputatio justitiæ. Etsi igitur id quod Paulus v. 5. asserit, non formaliter à Davide sit dictum, nihilominus tamen dictum est per consequentiam. Imo ut Chrysostomus docet, argumentatio est à minori ad maius. Si enim beatus est, cui peccata remissa, tum multo beatior, cui insuper justitia

stitia est imputata. III. Cui remissa sunt peccata, illi quoque justitiam imputari: & quicunque a damnatione liberatus est, vitæ æternæ hæredem esse. Ergo non diversa hæc esse beneficia. Resp. Non quæ subjecto eidem simul insunt, statim eadem sunt. Sic enim sequeretur, Vocationem, Iustificationem & Sanctificationem diversa beneficia non esse, quia omnis vocatus justificatus & sanctificatus est. IV. Remissiones peccatorum etiam omissioni peccata remissa, ideóque illa hominem perfectè justum constitui. Retionem consequentiæ addunt: quia qui nihil omisit, omnia præstiterit. Resp. Falsam esse consequentiam quia alia causa est, propter quam nihil omisisse, alia, propter quam omnia fecisse dicimur. Nihil omisisse dicimur: quia Christus etiam pro omissionis nostræ peccatis passus est: omnia vero præstitisse dicimur, quia nostro loco omnia præstitit. Differunt etiam, nihil omisisse, & omnia fecisse, respectu pœnæ & præmii; etsi enim illi, qui facienda omittit, remittatur culpa & pœna, non ideo tamen debetur ei præmium. V. Absurdum esse, unius debiti solutionem bis requiri. Si igitur passione Christi pro peccatis satisfactum sit, non requirendum satisfactionem quoque per activam obedientiam. At vero ignoratio est elenchi; non enim ejusdem debiti duplex solutio, sed unius solutionis duæ partes requiruntur. Nec justitia Christi activa requiritur ad satisfactionem pro peccatis, sed ad satisfactionem pro jure Regni cœlorum. VI. Si idem sit, nec prodigum, nec avarum, & liberalem esse: tum idem quoque esset, non injustum & justum esse. Resp. Assumtum falsum esse, quia non sunt omnia immediata, siquidem homines sunt, nec prodigi, nec avari, nec liberales dici possunt. VII. Si idem sit vestiri & nuditatem tegi; tum idem esset, peccata remitti, & iustitiam imputari: quia veste iustitiæ Christi etiam peccata teguntur Resp. Simile non esse idoneum: homo enim peccator non tantum vestiendus, sed prius sordida peccati veste exuendus est. Ut igitur Sacerdoti Iesu suæ primùm vestes sordidæ detractæ, postmodum vestes mutatæ, indutæ sunt, impositâ quoq; capiti

piti eius cidari mundâ. Zachar. 3. 4, 5. Sic quoque cœnosâ peccati veste primum exuimur: tum splendida veste iustitiæ Christi induimur.

XVI. *Forma Justificationis passive acceptæ est quâ credentes, fide, velut animæ manu, Christum cum toto merito suo apprehendunt sibique applicant.*

XVII. *Finis istius beneficii, est Dei gloria & salus nostra.*

XVIII. *Ex hac causarum commemoratione firmiter colligitur, hominem bonis operibus seu meritis suis coram Deo non justificari.*

Ratio I. Opponuntur enim, I. Gratia Iustificari, & ex merito. Rom. 3. 24. *Iustificantur gratis eius gratiâ.* & vers. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus Legis,* & cap. 11. v. 6. *Si per gratiam, non jam ex operibus, aliàquin gratia non est gratia, &c.* 2 Per Christum eiusq; meritum iustificari & ex operibus, Galat. 2 21. *Si per legem est justitia, igitur Christus sine causa mortuus est.* 3. Per fidem, & per opera, Rom. 3. 28. *Colligimus igitur fide nos justificari absq; operibus.* 4. Per justitiam imputatam, & per opera iustificari Rom. 4 4, 5. *Ei qui operatur, merces non imputatur ex gratia, sed ex debito. Ei verò, qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides sua ad justitiam.* II. Si iustificatione omnis gloriandi materia excluditur, ut Deo soli gloria cedat, tum non iustificamur ex operibus, Rom. 3. 19. *Ut omne os obmutescat, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei* & vers. 23. *Omnes peccarunt & deficiunt gloriâ Dei,* & v. 27. *Ubi gloriatio? Exclusa est. Per quam legem? Operum? Non: sed per legem fidei.* Excipiunt Pontificii, his locis intelligi tantum opera cæremonialia. At vero qui catalogum operum, quæ c. 1. 2, 3. ad Rom. recensentur, expendet, animadvertet non cæremonialia tantum, sed & moralia intelligi opera. III. Si operibus justificamur, tum aut regenerationem antecedentibus, aut etiam consequentibus. Sed neutris; nam ante regenerationem opera nostra perfecte mala, post eam imperfecte bona sunt.

XIX.

XIX. *Effecta justificationis sunt, pax cum Deo, intrepidus ad eum accessus, gloriatio in tribulationibus, & non solùm à peccatis liberatio quoad reatum, ut fingunt Papani; sed quoad pœnam.*

Alioquin frustra pro nobis Christus pœnas persolvisset, Esa. 35. Nec castigationes divinæ electis superveniunt, ut Deo satisfaciant, sed ut emendentur ac probentur.

XX. *Justitia nobis imputata, perfecta & aqualis est in omnibus credentibus.*

Non obstat fidei imperfectio. Ut enim eandem gemmam manus firma & infirma apprehendit: ita eandem justitiam Christi firmi & infirmi obtinent.

XXI. *Eadem inamissibilis existit.*

Sunt enim dona Vocationis divinæ ἀμεταμέλητα, Rom. 11. 29.

XXII. *Unica quoque est.*

Cum igitur Sancti iam justificati peccata sibi condonari petunt, non tam justificationis actu, quàm fructu confirmationem, & certificationem eius respiciunt.

XXIII. *Justificatio coram Deo alia est, quàm justificatio coram hominibus: illa ex fide est, hæc ex operibus.*

De hac igitur, Iac. 2. 24. *Videtis igitur, ex operibus justificari hominem, & non ex fide tantum.* Quod dictum non repugnat sententiæ Apostoli, Rom. 3. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus.* Illic enim de justificatione coram hominibus, hic de justificatione coram Deo agitur. Illic fides historica, & per charitatem non efficax; hic vero fides vera & viva intelligitur. Alii dicunt, ex operibus justificari hominem, non causative, sed declarativè seu ostensive.

CAPUT.

CAPUT XXXI.

In quo

De Sanctificatione.

JUstificationem, ut lux Solem, comitatur Sanctificatio.

Est hæc gratuita Dei actio, quæ fideles per fidem Christo insitos & justificatos per Spiritum sanctum magis magisque à nativa vitiositate liberat, & ad imaginem suam instaurat, ut ad eum bonis operibus glorificandum idonei reddantur.

CANONES.

I. *Sanctificare, hoc loco, non est ab usu profano segregare sanctiſve usibus destinare: sed habitualiter sanctum facere.*

Priore significatione jubetur sanctificare Sabbatum.

II. *Appellatur* Regeneratio, Renovatio, Conversio, Pœnitentia, Resipiscentia, & Glorificatio.

Hæc tamen vocabula ambigua sunt; Vox quippe *Regenerationis*, *Renovationis*, *Conversionis*, vel vocationi ac fidei Donationi æquipollet; vel vitæ novitatem significat, quâ actu ipso homo peccato moritur & vivit justitiæ. Priore sensu Justificationem antecedit, ejusque causa est: posteriore vero eam consequitur, ejusque effectus existit. *Pœnitentia* quoque & *resipiscentia* ab effectu nominatur: quæ tamen vocabula non minus, quàm apud Hæbreos *Nicham* & *Schubb*, & apud Græcos μετανόησις & μετάνοια, differunt; illa mentis, hæc cordis est: illa etiam, impiorum, hæc piorum est: quamvis hoc discrimen non sit perpetuum. *Glorificatio* dicitur, inchoativè, quatenus futuræ glorificationis est præludium.

III. *Causa efficiens eius communiter, est tota SS. Trinitas, singulariter verò & termini respectu, Spiritus sanctus à Christo ad hoc missus.*

Hinc *Spiritus sanctificationis* appellatur, Rom. 14.

IV. *Causa ejus impulsiva interna, est gratuita Dei benevolentia.*

Tit. 3. 4. 5.

Sed postquam bonitas & erga homines amor apparuit Servatoris nostri Dei, Non ex operibus justis: quæ fecerimus nos, | sed ex sua misericordia servavit nos, per lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus sancti.

V. *Causa προκαταρκτικὴ, est Christus cum meriti sui efficacia.*

Ephes. 5. 25. *Christus dilexit Ecclesiam suam, & semetipsum exposuit pro eâ, ut eam sanctificaret.*

VI. *Causa ejus instrumentalis externa, est doctrina Legis & Evangelii: interna vero, est fides, bonorum operum radix.*

VII. *Cui extraordinaria quoque media accedunt, quibus Deus aut elata deiicit, aut dejecta erigit: ut afflictiones, miracula, terrores, & similia.*

VIII. *In prima regeneratione seu vocatione, homo planè παθητικῶς sese habuit: in sanctificatione verò, cum iam fide salvificâ donatus sit, principium quoque agens est actionum suarum, non tamen sine speciali Spiritûs sancti gratia & impulsu.*

IX. *Materia sanctificationis, est totus homo eiusque intellectus, voluntas, & affectus.*

1 Thess. 5. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, & integer vester spiritus.* | *& anima & corpus inculpatè in adventum Domini nostri Iesu Christi serventur.*

X. *Formæ duobus actibus exprimitur, aversione à malo, & conversione ad bonum, (a) illa* morti-

mortificatio veteris, *hæc* vivificatio novi hominis: *(b) illa* crucifixio & sepultura, *hæc* resurrectio *nominatur.* (c)

(a) Psalm. 34. 15. Esa. 55. 7. (b) Ephes. 2. 1. | Coloss. 3. 9, 10. (c) Rom. 6. 2. & c. Gal. 2. 20.

XI. *Finis eius, est Dei gloria, salus nostra, eiúsque certitudo; nullum enim electionis evidentius est τεκμήριον.*

2 Tim. 2. 21. *Si quis igitur se abluerit expurgarit se erit vas ad decus sanctificatum.* 16. | Ioan. 3. 3. *Et quisquis habet hanc spem in eo sitam, purificat se, sicut & ille purus est.*

XII. *Sanctificatio in hac vita perfecta non est. Vnde opera quoque Sanctorum (quippe qui Spiritus & carnis luctam, quoad vivunt, in se sentiunt) imperfecta sunt.*

Rom. 7. 19, 23, 24. Gal. 5. 17.

XIII. *Differt Sanctificatio à Iustificatione: I. Genere: illius enim justitia ad Qualitatis, hujus vero justitia ad Relationis Categoriam pertinet. II. Formâ. Nam, 1. in justificatione fides ut manus justitiam Christi apprehendens; in Sanctificatione ut principium & radix bonorum operum, consideratur. 2. In Justificatione tollitur peccatum tantum quoad reatum & pœnam, in Sanctificatione paulatim aboletur, quoad existentiam. 3. Iustificatione, Christi iustitia nobis imputatur: in Sanctificatione, iustitia nova & inhærens nobis infunditur. III. Gradibus, nam Iustificatio est actus unus, individuus, perfectus, æqualiter contingens omnibus: Sanctificatio verò est actus successivus, ad perfectionem paulatim tendens, & pro donorum Spiritus Sancti varietate, in aliis magis, in aliis minus lucens.*

CAPUT XXXII.

In quo

De Sanctorum Perseverantia.

TAntum de Justificatione & Sanctificatione: sequitur Perseverantia Sanctorum, & Christiana libertas.

Perseverantia Sanctorum, est donum Dei quo electis iustificatis & sanctificatis, Christi gratia per Spiritum sanctum ita obsignatur, ut nunquam ea penitus excidant.

CANONES.

I. *Perseverantiæ nomine, non eam hic intelligimus, quâ Electi in gravissima peccata labi nequeant, quâ fides ipsorum non labefactetur, quâ Spiritus sancti præsentiam efficacem ad tempus amittere non possint: sed quâ fide & gratiâ Dei nunquam penitus & finaliter excidant.*

II. *Causa ejus efficiens, est Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus.*

Ioan. 10. 27, 28. 29. *Oves illæ meæ vocem meam audiunt, & ego eas agnosco, & sequuntur me; & ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quisquam e manu mea. Pater meus, qui eis dedit mihi, maior est omnibus, nec quisquam potest eas rapere è manu Patris mei. Ego & Pater unum sumus,* Ephes. 1. 13. 14. *In quo etiam, fide ipsi habita, obsignati estis Spiritu illo promissionis sancto: Qui est arrhabo hæreditatis nostræ ad obtinendam redemptionem, ad laudem gloriæ ipsius.*

III. *Materia quæ subiecti rationem habet, est homo verè electus, vocatus, iustificatus et sanctificatus.*

IV. *Forma partim in voluntate perseverandi, partim in actu ipso consistit. Voluntas in piis nunquam deficit; actus autem modo intenditur, modo remittitur.*

V. Esse

v. *Etsi igitur fides quoad actum secundum amittatur, nunquam tamen amittitur quoad habitum et actum primum, quo Christum apprehendit.*

VI. *Finis istius doni, est certitudo Salutis nostræ et vera ac firma consolatio.*

VII. *Ex his omnibus concludimus, electos, vocatos, justificatos et sanctificatos, salutis suæ certos esse.*

Præter testimonia Scripturæ suprà citata, hoc confirmat, I. Certitudo electionis nostræ: Electi enim periri aut reprobi fieri nequeunt, Matth. 24. *exibunt enim pseudo Christi & pseudo prophetæ & edent signa magna & prodigia, ità ut seducant (si fieri posset) etiam Electos.* 2 Tim. 2. 19. *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Novit Dominus qui sint sui,* II. Certitudo vocationis, Roman. 11. 29. *Nam dona & Vocatio Dei ejusmodi sunt, ut eorum ipsum pœnitere non possit.* III. Certitudo Fidei Esa. 42. v. 3. *Arundinem quassatam non confringet, lychnium fumigans non exstinguet.* IV. Certitudo justificationis, per quam *nulla condemnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu* Rom. 8. 1. V. Certitudo Sanctificationis, Philip. 1. 6. *Persuasum, habens hoc ipsum sive, ut qui incepit in vobis bonum opus, perficiat usque ad diem Jesu Christi.* Testimonia, quæ Bellarminus in contrariam sententiam citat, aut non de vere fidelibus, sed hypocritis agunt, ut Marc. 4. vers. 15. Luc. 8. 13. Joan. 15. 2. Heb. 6. v. 4, 5, 6, & 10, 26. 2 Pet. 2. 21, 22. Aut de defectione, non à fide, quâ creditur sed quæ creditur h. e. à sana doctrina, quam etiam hypocritæ, ad tempus amplectuntur: ut 1 Tim. 1. 19. & 4. 1. 1 Tim. 6. 19. Aut de vere quidem fidelibus, sed conditionaliter, intelligenda sunt: ut Ezech. 18. 26. *Cum averterit se justus, &c.* & 1 Cor. 9. 27. Gal. 5. 4. Exempla Angelorum malorum & primorum parentum nihil huc faciunt,

quia

quia tantum acceperunt posse si vellent, non velle ut possent. alia autem est regenitorum ratio, qui per Spiritus sancti gratiam perseverare volunt & possunt. Similiter Saulis, Simonis Magi, & Judæ exempla alienа sunt, cum reprobi non electi fuerint. David & Solomon graviter quidem lapsi sunt, sed fide penitus non exciderunt, ut utriusq; restatur, resipiscentia, Psal. 51. & Ecclesiastis libro. De Petri lapsu cum Augustino dicimus, *Defecit professio in ore, non fides in corde.* Rationes Adversariorum duæ potissimum confiderandæ. I. Temeritatis esse de fidei certitudine gloriari, cum salus potius cum timore & tremore sit operanda, Phil. 2. 12. Resp. Nullius temeritatis accusandos electos; quia salutis certitudinem non suis viribus adscribunt, per quas millies Dei gratiâ excidere possent: sed *custodiuntur per virtutem Dei*, 1 Pet. 1. 5. Timor igitur & tremor non firmæ in Deum fiduciæ; sed carnali præsumtioni opponitur. II. Frustraneas esse omnes admonitiones, sicque securitati carnali fenestram aperiri. Resp. Nullam esse consequentiam, tantum enim abest, ut securitati præbeat hæc doctrina occasionem, ut potius à securitate avocet. I. Quia aliud est, *stare*; aliud, *sibi stare videri*, 1 Cor. 10. 12. II. Quia salutis certitudinem nemo sibi polliceri, potest nisi fidem ex sanctificatione exploret. III. Quia tametsi Sancti non penitus Dei gratia excidant, in gravissima tamen peccata labi possunt quibus Deum & proximum offendunt, sibique varias calamitates accersunt.

CAPUT XXXIII.

In quo

De *Libertate Christiana.*

LIbertas Christiana, spiritualis est manumissio, quâ fideles â servitute, quâ ante conversionem suam constricti tenebantur, liberati sunt, ut Deo promptè & allacriter obediant.

CANONES,

CANONES 8.

1. *Causa hujus libertatis efficiens communiter, est tota SS. Trinitas; singulariter vero Christus Dominus.*

Ioan. 8. 31, 32. *Si manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis. Et cognoscetis Veritatem, & Veritas nos in libertatem vindicabit:* & vers. 36. *Itaque si vos Filius in libertatem vindicarit, verè liberi eritis.*

II. *Causa ejus instrumentalis est fides.*

III. *Materia, qua subjecti rationem habet, est homo fidelis.*

IV. *Materia circa quam, sunt lex, servitus peccati & mortis, conscientiæ afflictio in rebus adiaphoris & hominum mandatis.*

V. *Forma variis conditionibus, pro obiectorum varietate exprimitur.*

VI. *A Lege quatenus liberati simus, suprà in doctrina de Lege ostensum est,* pag. 72.

VII. *A peccato, eiusque inhæsione in hac vita non penitus liberamur, sed liberamur è reatu & dominio ejus: ab illo per Justificationem: ab hoc, per Sanctificationem.*

Rom. 6. 12. *Non regnet igitur peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis ei in cupiditatibus eius.*

VIII. *A rebus adiaphoris, h. e. nec præceptis, nec prohibitis, sic liberati sumus, ut ad illas servandas aut non servandas conscientia nostra non obligetur.*

Rom. 14. 2, 3. *Alius credit vescendum esse quibusvis, alius autem fide infirmus edit olera. Qui edit, non edentem ne pro nihilo habeto: qui non edit, edentem ne condemnato.*

IX. *Accurata autem in his casibus fidei et charitatis ratio habenda est. Fidei, ne res non adiaphora pro adiaphoris habeamus: charitatis: nè proximum infirmum offendamus.*

De fide ait Paulus, Rom. 14. 23. *Qui vero ambigit: si ederit, condemnatus est, quoniam non edit ex fide: quicquid vero ex fide non est peccatum est.* De charitate, c. 14. 1. inquit, *Eum vero qui infirmus est fide, assumite, non tamen ad certamina disputationum, &c.*

X. *Eadem ratio est libertatis circa hominum mandata: iis enim quæ Dei mandatis contraria sunt, aut cum adiaphora sint, pro necessariis obtruduntur, conscientia nostra minimè obligatur. Quæ vero divinis præceptis consentanea sunt, illis propter conscientiam non est refragandum.*

XI. *Finis libertatis huius est:* 1. *Vera consolatio, quæ ex liberatione à peccato, morte et solicitudine in rebus indifferentibus, fluit.* 2. *Servitus iustitiæ, quæ vera demum libertas exsistit.* 3 *Verus Dei cultus, immunis à superstitione, aut proximi offensione.*

XII. *Libertati Christianæ contraria est carnis licentia et lascivia.*

Judæ, v. 4. *Subrepserunt quidam homines, jam olim descripti ad hanc condemnationem, impii, qui Dei nostri gratiam transferunt ad lasciviam.*

CAPUT.

CAPUT XXXIV.

In quo

De Iudicii extremi Antecedentibus, nimirum adventu Christi, et Carnis Resurrectione.

SUperioribus capitibus actum est de Gratiæ Statu: sequitur nunc Status Gloriæ.

Huc autem pertinet doctrina de ultimo Judicio.

Partes doctrinæ huius tres sunt: prima de antecedentibus; secunda de Judicio ipso: tertia de consequentibus.

Antecedentia sunt, Christi *A*dventus & mortuorum Resuscitatio.

*A*dventus extremus Christi est, quo è cœlo in quod sublatus est, redibit ad judicandum terrarum orbem.

CANONES.

1. *Reditus Christi ad judicium certissimus est.*

Revelatus jam indè à Patriarcharum temporib9. Judæ, v. 14. *Prophetavit autem de istis etiam septimus ab Adamo, Enochus, dicens, Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, ut ferat judicium adversus omnes & redarguat, quicunque ex ipsis sunt impii, de factis omnibus, quæ impie patrarint, deque omnibus duris quæ locuti fuerint adversus ipsum peccatores impii.* Ist iustmodi testimoniis reliqua Scriptura plenissima est Psal. 50. 3. &c. Dan. 12. Mat. 24. & 25. Act. 17. Rom. 2. & 14. 2 Cor 5. 1. Thes. 4. & 5. 2. Pet. 3. Apoc. 19. &c.

11. *Etsi tempus adventûs Christi exquisitè, quoad diem et horam, nemo norit: (a) signa tamen à Christo et Apostolis tradita sunt, diem ejus appropinquantem aut instantem indigitantia. (b)*

(a) *Marc.* 13. 32. *De die autem & hora nemo scit, ne Angeli quidem qui in cœlo sunt, nec filius, sed Pater.* 1 Thess. 5. v. 1, 22. *De temporibus & opportunitatibus, fratres, non opus est, ut vobis scribatur. Ipsi enim probe scitis diem illum Domini, ut furem in nocte, ita venturum.* (b) Math. 24. 32, 33. *A ficu autem discite parabolam, cum iam ramus eius tenerescit, & folia germinant, nostis prope esse æstatem. Ita & vos cum videritis hæc omnia, scitote, illum diem prope & adforese esse*

III. *Signa illa communia sunt, aut propria.*

IV. *Communia sunt, quæ excidium Hierosolymitanum & extremum Christi Adventum communiter significare debuerunt.*

Talia sunt, quæ Christus Matth. 24. prædicit, de Hierosolymæ excidio, ut typo, & de adventu suo simul agens. Nempe, Pseudo-Prophetæ, Pseudo Christi, bella, pestilentiæ, fames, terræmotus, persecutiones Christi causâ, proditiones, fidei & charitatis defectus &c.

V. *Propria sunt, extrema securitas & impietas, (a) Antichristi revelatio & per Spiritum oris Christi abolitio, (b) Romæ ruina, (c) & Meretricis desolatio & exustio (d)*

(a) Luc. 17. 26, 28. *Ut factum est in diebus Noachi, &c. & ut accidit diebus Lothi, &c.* 1 Thes. 5, 3. *Cum enim dicent, Pax & securitas: tum repentinum eis imminet exitium, sicuti dolor partus mulieri uterum ferenti, & nequaquam effugient.* 2 Tim. 3. 1, 5. *Illud autem scito, fore ut extremis diebus instent tempora molesta. Erunt enim homines sui amantes, avari, glorioſi, superbi, maledici, parentibus non obedientes, ingrati, profani, charitatis expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites, minime amantes bonorum, proditores, &c.* (b) 2 Thes. 2. 3. *Ne qui vos seducat ullo modo*

do: non enim adveniet dies Christi, quia venerit defectio prius, & retectus fuerit homo ille sceleratus, filius ille perditionis: & v. 8. *Et tum revelabitur ex lex ille, quam Dominus absumet spiritu oris sui, & evanescere faciet illo suo illustri adventu.* (c) Apoc. 18. 2. *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, &c.* (d) Apoc. 17. 16. *Et decem cornua, h. e. decem reges, odio persequantur meretricem, & desertam reddent illam & nudam, & carnes ejus comedent, & igne eam exurent.*

VI. *His signis à nonnullis accensetur Judæorum magna & visibilis ad Ecclesiam Christi aggregatio, quam extremis temporibus expectandum esse docent.*

Utique plausibilis hæc sententia foret si modo in Scripturis probe fundata. Quæ ex Prophetis testimonia citant, iam Apostolorum tempore impleta sunt, quibus pariete intergerino sublato, cum Gentibus in unum corpus coaluerunt. In Apocalypsi nihil reperitur, quod firmiter sententiam hanc confirmet. Præcipuum præsidium quærunt in loco Rom. 11. 25, 26. *Nolim enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc (ut ne sitis apud vosmetipsos sapientes) obdurationem ex parte Israelis buenisse, quousque plenitudo gentium introiverit, & ità totus Israel servabitur.* Totus in eo est Apostolus ut dehortetur Christianos, ne ideo, quod Iudæis reiectis, ipsi vocati sunt, superbiant ac Judæis insultent, Ratio est: quia per ipsa rum ruinam salus obtigit Gentibus, v. 11. sic tamen, ut nec omnibus Iudæis præcisa sit spes reconcilia tionis, v. 15. nec immunes sint à reiect one, qui cum titulo tenus tantum Christiani sint, animo efferuntur, v. 20, 21. Prius illud de Iudæorum reiectione non plane sine spe veniæ facta, illustrat mysterio, de iudæorum non universali, sed partiali tantum reiectione quam πώρωσιν ἀπὸ μέρους nominat, non temporis rat one, quod duratura tantum sit a iquandiu, sed respectu eius, Gentis Iudaicæ, partis, quæ reprobos complectitur: ut sententia sit, non omnibus Iudæis sed parti tantum, h. e. reprobis cœcitatem eveniſſe. Nec verba illa, *tantisper dum Gentium plenitudo in,*

traierit,

troierit, hunc habent ſenſum, quod poſtquam plenitudo Gentium introierit demum futura ſit talis plauſibilis Iudæorum vocatio. Nihil enim frequentius eſt, quàm ut particula *donec*, *uſque dum*, *tantiſper dum*, negata aut affirmata, ſit idem quod *nunquam* aut *ſemper*: ut ſuprac: 19. oſtenſum. Nihil quoq; officit huic interpretationi, quod ſubdit Apoſtolus, v. 26. *Et ità totus Iſrael ſervabitur: Iſraelis* enim *totius* nomine omnes electos intelligit, qui demum veri ſunt Iſraelitæ, ut ſuprà c. 9. 7. &c. oſtendit, & ſeqq. quoq; v. 28, c. 11. explicat inquiens: *Itaq; quoad Evangelium, ſunt inimici propter vos: quod ad electionem autem, diliguntur propter patres.* Summa totius loci eſt, Gentis Iudaicæ reiectionem ἀπὸ μέρους factam qua (cœcitas ſuper reprobis ſit manſura) electis ex Gente Iudaica non fraudi fore, quin ipſi quoque, & ſic totus Iſrael ſerventur. Videatur Calvinus in hunc locum.

A. R. Hic Wollebius (viam præeunte Calvino) conatur evertere opinionem illam de Judæis ad eccleſiam Chriſti aggregandis ante diem extremi judicii: idem jamolim molitus eſt *Cæſarienſis Greg*: *Nazianzeni* frater, *dial.* 4. negando tale quidpiam in Scriptura diſertis verbis tradi, cum tamen eiuſce rei frequens ſit in SS. literis mentio, & crebrò inculcetur Judæorum vocatio quædam generalis. Scio *Hieronymum* in Iſay. 11. & Hoſ. 9. videri huic apertæ veritati reclamare; verùm non abſolutè impugnat is finalem ipſorum converſionem, ſed quo modo ea perficienda eſſet inquirit, & inveteratam illam Judæorum opinionem, qui ſibi perſuaſerant adventurum *Eliam*, quo eos in patrias ſedes reſtitueret, politiam Moſaicam inſtauraret, totúmque cultum Judaicum rurſus ad praxin revocaret. At verò denegare totalem converſionem Judæorum ad Chriſtum, quid hoc aliud

aliud est quam parietem intergerinum rursus ædificare, quem adventu suo demolitus est Christus, quod ipsum rupto templi velo factum iri moriens Salvator præmonstravit? Cur Christus dictus est λίθος ἀκρογωνιαῖος, lapis angularis, si non is ei animus erat, ut geminos Judæorum & Ethnicorum parietes interpositu suo uniret? Quomodo adimplebitur illa prophetia, *Erit unum Ovile, sicut & unus pastor?* Vaticinium illud *Zachariæ* c. 12. v. 12. v. 10 Apocal. 1. 7. *Respicient ad quem transfixerunt, clangentque super hoc*; explicandum est de Judæorum finali conversione, in quam cum pio luctu atque pœnitentiâ inclinabunt, ante diem extremum, dicitur enim eo ipso in loco, *Veniet in nubibus*, Luc. 21. 27. prædicit Salvator noster *concultatum iri Hierosolyma, quoad impleantur præstituta tempora gentium.* Legimus Apocalyp. c. 7. quod præter *infinitam multitudinem ex omnibus gentibus, quæ ante Agnum stabat, etiam Israelitarum centum quadraginta quatuor millia astiterint, in monte Sionis.* Numerus est hic definitus pro indefinito, quo innuitur Judæorum totalis conversio. Quin Malach. c. 4. promittitur *Elias, ut convertat cor patrum ad filios*: quam prophetiam veteres doctores accommodant ad conversionem Judæorum per prædicationem *Eliæ*; atque ipse Christus prædicit quod *veniet Elias, & restituet omnia*, Matth. 17. 11. fateor equidem Christum hanc ipsam prophetiam ad primum suum adventum applicare, atque per *Eliam* Joannem *Baptistam* designare, non tamen hoc impedit quominus verificari possit de secundo ipsius adventu: ante

ante quem diem, aut *Elias* ipse veniet, aut valentissimi concionatores, *Spiritu & potestate Eliæ* præditi, qui Judæos ad Christum convertant: Ad hunc modum patres interpretantur illud psalmistæ Psal. 59.6, 14. *vesperi revertentur*, de conversione Judæorum sub finem seculi atque observant itidem quod sera ipsorum ad Ecclesiam Christianam (*quæ est domus dei viventis*) accessio, præfigurata fuerit, atque ænigmaticè expressa per fratrum natu majorem, Luc. 15. qui non ingressus est donec eum obnixè rogaret pater; quod factum est post quàm rediisset frater minor, sive Gentiles. Verùm conversio ipsorum inscripturis perspicuè prædicitur, *Ho.* c. 1. v. 11. *Congregantes se Judæi & Israelitæ unà, & præponentes sibi caput unum ascendent*: Non potest hoc de ipsorum reditu à captivitate exponi, nec enim Israelitæ inde reversi sunt: de conversione igitur eorundem intelligi debet. Quod ipsum fusius persequitur atque explanat *Hoseas.* c. 3, 5. *Postea reversi Israelitæ quærent Jehovam Deum suum, & Davidem regem suum, & pavidi accedent ad Jehovam: & ad bonitatem ejus ultimis temporibus.* Per ultima hæc tempora nequit intelligi primus Christi adventus; quandoquidem nondum completam fuisse hanc prophetiam. Pauci oppido ad Christum conversi sunt; sed hoc quantillum est, si quis cum mente reputet gentem omnem, vel saltem maiori ex parte conversum iri? Atqui hoc est quod disertis verbis narrat Apostolus Rom. 11. 25. *Nolim vos ignarare fratres, hoc mysterium obdurationem ex parte Israeli evenisse tantisper dum plenitudo gentium introierit & ita totius Israel servabitur*, & v. 32. *concluſit enim*

enim deus omnes illos in inobedientiam, ut omnium illorum misereretur. Omnia vero tum antecedentia tum consequentia verba, & circumstantiæ, huc faciunt, ut credamus Paulum de carnalibus Israelitis, non autem de Spiritualibus loqui, sive de iis qui natione Judæi essent. & non spiritu tenus: horum ille conversionem totalem, *plenitudinem* ipsorum appellat, v. 12. quo modo totalem conversionem gentium appellat *plenitudinem gentium* v. 25. Atque extra dubium videri debet, quod Christus qui *venit ut populum suum servaret à peccatis suis*, quibus ipse personaliter Evangelizavit, & discipulos suos amandavit *ad oves perditas Israelis)* pro quibus preces fudit in cruce adhuc pendens, & pro quibus in cœlo etiamnum intercedit apud patrem; non committet ut ipsorum obliviscatur; quin sparsas atque palantes oves, iusto tempore, intra ovile compellet atque revocabit. Hic est ille *Michael*, magnus ille princeps, qui stat pro Israelitis, popularibus Danielis, per quem sospitabitur quisquis inventus est scriptus in libro vitæ, Dan. 12. 1. Apud veteres ita certa atque indubia erat hæc sententia, nascente iam tum Ecclesiâ, ut profiteatur Augustinus lib. 20. de civit: dei, c. 29. *Quotidianis illud sermonibus fuisse jactatum, ac vulgò creditum à fidelibus, quod Judæi convertendi essent per Eliæ præconium.* Non tamen inficias eo quin Judæi hactenus similes fuerint sterili ficui; in Euangelio, quam diris olim defixit Salvator noster: atqui hoc interest, quod ficus ista ad bonam frugem nunquam erat reducenda, quod de Judæis opinari religio,

religio est: Agnosco quod patres crebro dicant fore ut Judæi in Antichristi castra transeant; quandoquidem dictum est, *si alius venerit in nomine suo, ipsum recipient*: non tamen idcirco consequens est, ut nunquam ad Christum redeant, discussis aliquando tenebris, & manifestato *homine peccati*: Neque pugnantia loquitur Paulus, qui cum probasset conversum iri Judæos, alibi ait, 1 Thes. 2. 16. *occupavit eos ira ad extremum usque*. Loquitur enim de Judæis illis corruptis atque depravatis, qui suo seculo vivebant, qui Christum in crucem egerant, qui in Sectatores ipsius atrocissime desævierant: quocirca finali internecione deleti sunt, imperante *Tito*. Vel ita poterit locus ille explicari, ut εἰς τὸ τέλος significet *totaliter*, quo modo eas voces transtulit Anglicanus interpres; & tunc proinde est, ac si dixisset eos funditus atque *extremâ* occidione periisse. Illud *Hoseæ* dictum, c. 1. 6. *Non pergam amplius misereri domus Israelis, ut ullo pacto condonem istis*: ad captivitatem decem tribuum accommodari debet, quæ nunquam postliminio regressæ sunt, sicut domus Judæ. Verum quid hoc ad finalem conversionem Judæorum? quæ inter hæc communio? Diræ illæ quas iis imprecatus est *David*, Psal. 69. 23, 24, 25. respiciunt temporeas pœnas, atque clades quibus conflictari deberent; non autem finalem atque inflexibilem obstinationem. Denique *Apostolus* hoc nobis confirmat, adducto ex Isai. 59. 20. argumento. *Quod omnis Israel salvabitur, quoniam adveniet Sioni vindex* (aut quomodo eum locum reddiderunt Septuaginta interpretes)

tes) è *Sione liberator, qui avertet impietates à Iacob*, Rom. 11. 26. Hæc prophetia nondum finem accepit, oportet igitur ut impleatur sub exitum seculi quo tempore veniet liberator, & avertet impietates ab universâ natione Judæorum.

VII. *Signum Christi iam præsentis, erit sine dubio, incredibilis fulgor et maiestas, cum qua Christus venturus est.*

Veniet enim *in nubibus cœli*, Matth. 26. 64. *in credibili cum gloria*, Matth. 25. 31. *& omnes sancti angeli cum eo*, ibid. *cum clamore hortationis & voce Archangeli*, 1. Thess. 4. 16. Præ eius maiestatis fulgore, *Sol & Luna obscurabitur*, (tanquam lumen minus à majori,) *& stellæ cadent e cœlo*, (h. e. videbuntur de cœlo cadere) *& potestates cœli concutientur*, Mar. 13. 24. *imo a conspectu eius cœlum & terra fugere videbuntur*, Apoc. 20. 11.

Hæc de Christi adventu: Mortuorum resuscitatio est quâ corpora demortuorum resuscitabuntur, superstitum vero immutabuntur, & cum anima de integro indissolubili vinculo unientur.

CANONES.

I. *Resurrectio Græcis ἀνάστασις et παλιγγενεσία dicta, prima est, aut secunda: illa resuscitatio est à morte peccati ad vitam.*

Apocal. 20. 6. *Beatus & sanctus, qui partem habet in resurrectione prima.*

II. *Resurrectionem mortuorum Scriptura probat, testimoniis, (a) exemplis, (b) typis (c) et rationibus. (d)*

(a)

(a) Iobi 19.25, 26. Dan. 12.2. Hos. 6.14, Matt. 22. 31, 32. & 27.52. Ioan. 5 28, 29. Philipp. 3. 21. 1 Thes. 4. & aliis similibus locis (b) Exemplum excitatorum ministerio Eliæ, 1 Reg. 17 18. Elisæ. 2 Reg. 4. 32. 2 Reg. 13. 20. à Christo item; Matth. 9. 25. Luc. 7. 14. Ioan. 11, Math. 27. & ab Apostolis, Act. 9. 40. & 20. 10. (c) Typus baculi Aaronis, revirescentis, Num. 17. Iudaici populi è Babylonia reducis Ezech. 37. imprimis autè Henochi & Eliæ, Gen. 5. & 2. Reg. 2. (d) Rationes petuntur à fœdere Dei, quod morte non rumpitur, Matth. 22. 30. à promissionibus vitæ æternæ: à Sacramentis illas obsignantibus: quæ 1. Cor 15. fusius declarantur. Primaria tamen ratio petitur à Christo, qui non tantum Resurrectionis typus & exemplum, sed & initium exsistit: ex vita enim Capitis, mystici corporis vita indubiè colligitur.

III. *Resurrectio mortuorum tametsi naturam & corruptam hominis rationem superet, tamen nec contra naturam est, nec contra rectam rationem.*

Ratio enim recta docet & posse resuscitari mortuos & resuscitandos esse. illud enim ex omnipotentia Dei, hoc est justitia ejus concluditur. Ut namque iustum est, ut quædam peccata post hanc vitam puniantur: ità est quoque, ut quod socium fuit peccatorum, sit quoque pœnarum.

IV. *Causa resurrectionis efficiens communiter, est tota SS. Trinitas; singulariter autem, Christus Dominus.*

Tribus modis Christus causa eius efficiens est; 1. ut Deus 2 ut iudex mundi 3: ut Mediator. Prioribus duobus modis causa efficiens est resurrectionis tam reproborum, quàm electorum: tertio modo causa resurrectionis fidelium est merito, efficaciâ & inchoatione.

V. *Materia, est idem numero corpus, quod gestavit homo in hac vita.*

Evincit

Evincit hoc præter testimonium Iobi 19.26. ratio tertio canoni annexa, à iustitiâ petita.

VI. *Forma, in iterata corporis & animæ unione, & mortuorum quidem restitutione, superstitum verò momentanea immutatione, & liberatione à corruptione, consideratur.*

1 Cor. 15. 51.

VII. *Finis, est declaratio iustitiæ & misericordiæ Dei: illius quidem in impios ad condemnationem; hujus vero in piis ad vitam æternam suscitandis.*

Dan. 12, 2. Io. 5. 26. 27. 28,

VIII. *In Resurrectione pii non tantùm à corruptione & defectibus corporum liberabuntur, sed & gloriâ condecorabuntur.*

1 Cor. 15. v. 42, 43, 44. *Seritur cum corruptione, suscitatur cum incorruptione: seritur fœdum, suscitatur cum gloria: seritur viribus cassum, suscitatur potens: seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale.*

CAPUT XXXV.

In quo

De Judicio ultimo.

SIc fuerunt antecedentia Judicii extremi. Judicium ipsum est augustissimus ille actus, quo Christus judicaturus est universum terrarum orbem.

CANONES.

I. *Iudicii extremi certitudo iisdem argumentis probatur quibus certitudo Adventus Christi & resurrectionis nostræ.*

II. *Causa*

II. *Causa ejus Efficiens princeps communiter tota SS. Trinitas est; singulariter autem, Christus Dominus in assumpta humana natura, sed glorificata.*

III. *Judex erit Christus principali auctoritate; quippe cui omnis potestas data est, & à quo ad superiorem provocare non licebit.*

IV. *Visibilis erit hic Judex & conspicuus omnibus, tum ratione fulgoris & majestatis cum qua apparebit, tum ratione humanitatis.*

Sic tamen, ut conspectu ejus pios gaudio, impios vero terrore afficiat.

V. *Instrumentalis causa, sunt Angeli, quorum operâ usurus est, tum in congregatione judicandorum, tum in segregatione piorum & impiorum.*

Marth. 24. 31. *Is verò mittet Angelos suos cum tubæ voce magna, & aggregabunt electos ejus à quatuor ventis.* & 25. 32. *Et congregabuntur coram eo omnes Gentes, & separabit eos alios ab aliis, ut pastor separat oves ab hœdis.*

VI. *Materia erunt omnes homines sistendi coram Christi tribunali.*

Rom. 14. 10. 2 Cor. 5. 10.

VII. *Aliter tamen pii, aliter impii judicandi erunt; illi enim judicabuntur, sed non condemnabuntur; hi verò & judicabuntur & condemnabuntur.*

Atque hoc sensu Scriptura negat, fideles iudicaturum iri, Ioan. 3. 18. & 5. 29.

VIII. *Nec obstat, quod impii jam judicati dicantur: aliud enim est occultum, aliud manifestum & publicum judicium.*

IX. For-

IX. Forma κατὰ τύπωσιν processus forensis exprimitur: ad quem pertinent 1, Causæ cognitio, 2. Sententiæ dictio. 3. Ejusdem executio.

X. Causæ cognitio, librorum velut protocoli similitudine exprimitur, quibus opera ipsorum descripta sunt.

Apocal. 20. 12. *Et aperti sunt libri, &c. Librorum autem nomine partim Dei* omniscientia, partim hominis conscientia intelligitur.

A. R. Librorum nomine partim dei omniscientia, partim hominis conscientia intelligitur.] Deus apud quem omnia sunt γυμνὰ καὶ πεπραχηλισμένα nuda atque retecta, non indiget libris ad memoriæ subsidium, sicut homines egent; legimus nihilominus qd bini ipsi libri sint, *vitæ* alter, alter *Scientiæ*. Prior ille quadruplex est, Unus Prædestinationis ad vitam æternam, atq; in hunc librum quorundam nomina ita relata sunt, ut nunquam obliterari queant; alii opinione atque spe, κατὰ δόξαν, ascripti sunt; nam cum aliquantisper vixerint in timore domini sua eos spes et aliorum pium judicium huc transcribit: at vero cum per nequitiam suam & sua scelera hac spe exciderunt, tunc possunt commodè dici ex hoc libro dispungi: Hic est liber vitæ æternæ. 2. Liber vitæ temporaneæ, qui nihil aliud est quàm huiusce vitæ status atque conditio: ex hoc libro sua obliterari nomina volebant, vovebant *Moses, David & Paulus*. 3. Scripturæ codex est liber vitæ, quatenus ea continet præcepta & media; unde ad pietatem & vitam æternam informamur. 4. Liber conscientiæ est liber vitæ, prout in eâ tanquam regesto consignatas intuemur antegressæ vitæ actiones,

actiones, tum bonas tum malas. Liber hic interdum in hoc seculo nobis panditur atque commonstratur: plenius tamen illum nobis revelabit ætas postera. Alter porro liber cujus mentio frequens legentibus occurrit, est Liber Scientiæ, qui triplex est: 1. Liber Scientiæ divinæ generalioris, unde omnes universim homines cognoscit, sive boni fuerint, sive mali: Ad hunc Librum, si intenderit, potest quivis cũ Davide dicere, Ps. 139. 16. *In libro tuo omnia mea membro scripta sunt.* 2. Liber divinæ scientiæ specialis, quâ de agitur Psal. 1. *novit dominus vias justorum*, & 2 Tim. 2. *novit dominus qui sui sunt*: & hæc est scientia approbationis. In hoc libro non sunt ii descripti, quos cum hujusmodi Elogio dimissurus est Christus in die extremo, *discedite à me, operarii iniquitatis, nec enim vos novi.* de hâc scientiâ verba facit David Psal. 69. 28. *deleantur de libro viventium, et cum justis nè conscribantur.* 3. Liber Scientiæ est et ille in quo tanquam per adversaria aut ephemeridas descriptæ sunt actiones singulæ impiorum quos in lucem proferet extremus ille iudicii dies, Dan. 7. 10 *judicio considente Libri aperti sunt.* Licet igitur citra invidiam dicere, quod Deus omnium duos habeat libros, consimiles volumini *Ezechielis*, Scriptos à fronte, & à tergo: A fronte quidem descripta sunt piorum nomina, qui ad finem usque duraverint: à tergo exaratus est impiorum catalogus, qui gratia exciderint, qui cum in spiritu cæperint, desinunt in carne. *De hisce libris* consule Exod. 32. 32. Psal. 69. 28. &c. Phil. 4. 3. Apocal. 3. 5. & 17. 8. & 20. 15. & 21. 27.

XI. *Impii*

XI. *Impii iudicabuntur ſecundum et propter opera ſua: pii verò ſecundum fidei opera, ſed non propter opera.*

Hinc Apocal. 20. 12. *Alius liber aperiri dicitur, qui eſt liber vitæ.* Ut ſciamus, piorum ſalutem non ex operibus, ſed ab æterna Dei gratia, qua libro vitæ inſcripti ſunt, dependere.

XII. *Impiis cùm infidelitas tum impietas ſua in propria conſcientia ſic ob oculos ponetur, ut nec quicquam inficiari: nec contradicere poſſint.*

Pſ. 50. 21. *Arguamte & ordine obiiciã oculis tuis.* Mat. 12. 36. *Sed dico vobis quod cunq; verbũ otioſum loquuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die judicii.*

XIII. *Etſi autem electi quoq; peccatorum ſuorum recordaturi ſint, adeo tamen Spiritus ſancti gaudio perfundentur, ut memoria illorum nihil triſtitiæ ipſis ſit allatura.*

XIV. *Sententiam Chriſti cum reprobi tum electi audient: illa plena horroris, hæc plena conſolationis erit.*

Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum. Paratum vobis a jactis mundi fundamentis,* & verſ. 41. *Maledicti abite à me in ignem æternum, paratum Diabolo & Angelis eius.*

XV. *Exequutio iudicii protinus ſequetur ſententiæ dictionem ſic ut impii, ſpectantibus id piis, in infernum abripiantur, pii verò Chriſto in occurſum rapti, unà cum eo ingrediantur in vitam æternam.*

Matth. 25. verſ. ult. 1 Theſſ. 4. 17.

XVI. *Finis*

XVI. *Finis iudicii ultimi, est plena et consummata exsequutio consilii Dei, de patefacienda iustitia et gratia sua.*

XVII. *De loco, in quo iudicium ultimum futurum est, nihil temere statuendum est.*

Sunt, qui vallem Iosaphat designant, quæ est inter montes Sionis & Oliveti. Descensurum autem Christum, non in terram usque, sed ad illum usque locum, in quo nubes ipsum susceperit. Idque colligunt ex vaticinio Ioelis cap. 3. 2. Verum illic non de extremo iudicio, sed de iudicio temporali, in hostes Ecclesiæ Israeliticæ, agitur, allusione facta ad insignem illorum cladem, acceptam in valle Iosaphat, quæ sita erat in Hierosolymæ conspectu. Quod si ad Iudicium hæc per anagogen transferre libet, hæc erit sententia, Ut olim hostes Iosaphat & Iudæorum, in conspectu Hierosolymæ occisi sunt, ità infideles quoq; in conspectu spiritualis Hierosolymæ, hoc est Ecclesiæ, iudicandos & in Infernum deturbandos esse. Atque hoc sensu, Apostoli, Matth. 19. Martyres, Apocal. 20. imo fideles omnes, 1 Corinth. 6. Mundum & Diabolos iudicaturi dicuntur: non quod partiatur Christus Iudæis gloriam cum Sanctis, sed quod sententiam eius approbaturi, & iustitiam ac sapientiam cœlestis Iudicis celebraturi sunt.

CAPUT XXXVI.

In quo

De Consummatione seculi et vita æterna, tanquam Iudicii consequentibus.

IUdicium extremum duo consequuntur: Consummatio huius seculi, & Vita æterna.

Consummatio seculi est, quâ Mundus hic aspectabilis, impiis in infernum deturbatis, & piis in cœlum Beatorum sublatis, interiturus est.

CANONES.

CANONES.

I. *Nominatur* συντέλεια τοῦ αἰῶνος. Matth. 24. 3. & 28. 20.

II. *Causa efficiens consummationis hujus erit Deus: eiusdem enim est mundum creare & eundem destruere.*

III. *Materia ejus est Mundus hic assp*ectabilis, *Cœlum nimirum & Terra, unà cum iis, quæ in cœlo & terra sunt.*

Petrus Cœlum, Elementa, Terram & quæ in ea | sunt expresse nominat, 2 Pet. 3.

IV. *Consummationi autem huic nec infernus, nec cœlum supremum seu Beatorum, obnoxium est.*

Illuc enim æternum impii cruciabuntur, hic verò | pii æterno gaudio perfruentur.

V. *De forma istius consummationis quæritur:* 1. *Mediatène an immediatè futura sit?* 2. *An futura sit secundùm substantiam, an secundùm qualitates tantum.*

VI. *Priori quæstioni Petrus satis facit, docens facturum hoc Deum per ignem.*

2 Pet. 3. 6, 7. *Is qui tum erat Mundus aqua inundatus periit. Qui verò nunc sunt cœli & terra, eodem sermone recondîti servantur igni, &c.* & vers. 10. *Cœli cum stridore præteribunt, elementa verò æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur, &* vers. 12. *Cœli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent.* Qualis autem futurus sit hic ignis Deus novit, qui ignis est consumens.

VII. *Circa posteriorem quæstionem in diversas itur sententias; alia enim Mundum hunc interiturum volunt* κατ' οὐσίαν, *alia* κατὰ ποιότητα.

Qui mundum secundum qualitates tantum interiturum putant *consummationis* nomine purgationem & instaurationem intelligunt ducti I. Testimoniis. Rom. 8. 19, 20, 21, 22. *Etenim res creatæ, quasi exserto capite observantes, expectant revelationem filiorum Dei. Nam vanitati creaturæ subjectæ sunt, non sua sponte, sed propter eum qui subjecit, sub spe, quod & ipsæ vindicabuntur ex servitute interitus in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Scimus enim, *omnes creaturas una suspirare, & parturire, usque adhoc tempus.* 1 Cor. 7. 31. *Præterit species seu figura hujus mundi.* 2. Petri. 3. 13. *Sed cœlos novos ac terram novam secundum promissum expectamus.* Apoc. 21. 1. *Deinde vidi cœlum novum & terram novam.* II, Rationibus. 1, Quia terra in diluvio non secundum substantiam interiit. 2. Quia homo quoq; non secundum substantiam sed secundum qualitates mutabitur. Qui vero contrariam sententiam tenent, I. Scripturis nituntur, Psa. 102. 27. & Hebr. 1. 11. *Ista peritura sunt, tu autem permanes, ista omnia, ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabis ea,* &c. Esa. 51. 6. *Attollite in cœlum oculos vestros & intuemini in terram deorsum; cœlos velut fumum evanituros & terram ut pannum veteraturam,* Matth. 24. 35. *Cœlum & terra præteribunt, sermones autem mei nequaquam præteribunt,* 2. Petri. 3, 7. *Qui vero sunt nunc cœli & terra, eodem sermone repositi, servantur igni, &c.* & v. 10. *Cœli cum stridore peribunt, elementa vero æstuantia solventur, terraque & quæ in ea sunt opera exurentur,* & v. 12. *Cœli conflagrantes solventur, & elementa æstuantia liquescent,* Apoc. 21. 1. *Primum cœlum & prima terra abierat, & mare non amplius exstabat.* II. Rationibus. 1. Quia Mundus hic aspectabilis hominis viatoris causâ factus est: jam vero ubi viator esse desinet, ac in cœlum sublatus fuerit, nullus mundi huius usus erit. 2. Quia rerum ordo hoc evincit. Cum enim Deo æternitas competat sine principio & fine; Spiritibus vero ævum principium habens, fine autem carens; rebus physicis tempus tribuitur, principio & fine constans. Ad superiores autem objectiones respondent. Locum Rom. 8. 19. 20, 21, 22. non de instauratione Mundi huius, sed de liberatione à vanitate intelligen-

intelligendum, cui subiectus est: vanitatem autem illam in hoc consistere, quod maxima hominum pars, creaturarum ministerio nequissimè abutatur, unde per ἀποστοποίαν, liberationem expetere dicantur, Locum, 1 Cor. 7. 31. contrarium potius docere, nimirum, Mundum hunc non mansurum. Quamvis illic loci non tam de Mundo ipso, quàm de rebus mundanis, divitiis nimirum, voluptatibus & similibus sit sermo. Novum cœlum, de quo 2 Pet. 3. & Apocal. 21. novum quasi Mundum indigitare docent quem electi in cœlesti patria incolent; nihil enim frequentius esse allegoriâ, quâ cœlum beatorum nunc terræ, nunc cœlo aspectabili assimiletur, eodemq; facere verba Petri, quæ addit *In quibus habitabit justitia*. Certum enimest, post finem hujus *Mundi*, *Iustitiam* nusquam nisi in cœlesti patria habitaturam. Ad rationem priorem respondent, nullum esse consequentiam à diluvio ad judicium ultimum, quia diluvii tempore finis Mundi nondum aderat. Sic quoque in posteriori ratione consequentiam ab homine ad Mundum negant; quia Mundus homini ad *Vitam* æternam promoto nihil proderit, sed conditus tantum est propter hominem viatorem. Etsi autem in istiusmodi controversia, quâ nullus fidei articulus labefactatur, liceat ἐπέχειν, salvo tamen aliorum judicio, cordatus Lector posteriori sententiæ subscribet. Aliud quippeest, instaurari & in melius mutari; aliud, instar vestimenti veterascere, instar fumi evanescere, dissolvi, liquescere, conflagrare, præterire, non amplius existere, ut superiora testimonia volunt.

Tantum de Mundi fine. Vita æterna est summus beatitatis gradus, quo Christi gloriæ participes facti, Dei visione & cœlestibus gaudiis fruemur in æternum.

CANONES.

1. *Causa Efficiens Vitæ æternæ communiter est tota SS. Trinitas, Christus verò Dominus singulariter, qui & merito suo vitam nobis impetravit & efficaciâ suâ confert.*

Hinc Pater *æternitatis* nominatur, Esa. 9. 6. & metonymicè *Vita ipsa*, Ioan. 14. 6.

11. *Bona opera non sunt causa meritoria vitæ æternæ, licèt illis vita tanquam merces gratuita promittatur.*

Bonis operibus merces promittitur non ex debito, sed ex gratia; non ut illis vitam promereamur, sed ut ad illorum studium excitemur.

111. *Æterna illa felicitas perspicitur ex liberatione ab omni malo, & gaudiorum varietate, magnitudine, & æternitate.*

Apocal. 21. 4. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & mors amplius non erit, neque luctus, neque clamor, neque labor erit amplius, quia priora abierunt.*

1v. *Varietas gaudiorum consideratur in hominis glorificatione, in habitationum cœlestium amœnitate, in beata Sanctorum societate, imprimis autem in Dei communione.*

v. *Glorificatio tum corporis erit, tum animæ.*

vi. *Corpus donabitur, 1. Claritate. 2. Impassibilitate 3. Subtilitate. 4. Agilitate.*

vii. *Anima multò majori perfectione erit, quàm fuit in homine etiam adhuc integro. Erit enim intellectus sine errore, lux sine caligine, sapientia sine ignoratione, ratio sine obscuritate, memoria sine oblivione. Erit quinetiam voluntas sine depravatione, gaudium sine mœrore, lætitia sine dolore. In statu innocentiæ poterat homo non peccare; in statu gloriæ non poterit peccare.*

viii. *Habi-*

VIII. *Habitationum cœlestium amœnitas Templi Solomonis & Hierosolymæ typo adumbratur.*

Psalm. 84. 2. &c. Apoc. 21. 22.

IX. *Sanctorum communio, quæ cum gaudio conjuncta futura sit, convivii similitudine explicatur.*

Matth. 22. 2. &c.

X. *Nec verò tantum communio nobis cum sanctis Angelis intercedet, sed ὡς ἄγγελοι quoque erimus.*

Matth. 22. 30. ἰσάγγελοι, Luc. 20. 36.

XI. *Dei communio ea erit, ut sine fine eum visuri, sine fastidio amaturi, sine fatigatione laudaturi simus.*

XII. *Magnitudo gaudiorum tanta est, ut non solum eam nemo fando, sed nec cogitando assequi possit.*

Nihil enim in hâc vita aut oculus vidit, aut auris audivit, aut cor cogitavit, quod gaudiis cœlestibus par esset, 1 Cor. 2. 9.

XIII. *Neque verò talis erit hæc felicitas, cui certus præfixus sit terminus, quâve excidere iterum possimus, sed duratura est in omnem æternitatem.*

Psalm. 16. 11. *Facturus es, ut experiar semitam vitæ, satietatem gaudiorum ante faciem tuam, amœnitatem ad dextram tuum æternam.*

XIV. *Beatitudinis æternæ gradus erunt.*

Colligitur hoc ex Danielis cap. 12. 3. *Et erudientes splendebunt quasi splendore expansi, & justificantes multos, ut stellæ, in secula seculorum erunt.* Nec officit huic sententiæ, quod Mat. 13. 43. Justi in genere, Solis instar fulsuri dicantur: etsi enim gloria Electorum per se con-

deratorum, fulgori Solis & stellarum assimiletur, Danielis tamen cap. 12. Doctoribus præ aliis hoc promittitur; nec alia ratio dari potest, ob quam illic erudientium cum primis fiat mentio, Locus 1 Cor. 15, 39, 40, 41. minus commodè ad hoc probandum citatur: simile enim de diversitate fulgoris Stellarum, illic non futuræ gloriæ gradus, sed corporis mortalis & glorificati differentiam astruit, ut ex sequentibus manifestum. Interim non amplectimur rationem diversitatis gloriæ, quam assignant Pontificii, diversitatem nimirum meritorum. Nam ut donum fidei & sanctificationis, pro mera Dei gratia, inæqualiter Sanctis obtingit; ita gloriam quoque pro gratiosa sua voluntate distribuet, sic tamen, ut nemo de gloriæ defectu conquerendi aut alteri eam invidendi causam sit habiturus.

LIBER

LIBER SECUNDUS
agens
DE DEO COLENDO

CAPUT. I.
In quo
De Bonorum Operum Natura.

SUperiore libro de Deo cognoscendo actum est. Nunc agendum de eodem colendo.

Verus Dei cultus in vera sanctitate & justitia, seu in studio bonorum operum consistit.

Bona opera sunt, quæ Spiritus Sancti gratiâ ex vera fide & ad Legis præscriptum præstantur, ad Dei gloriam, salutis nostræ certitudinem & proximi ædificationem.

CANONES.

1. *Bona opera* Virtutes *quoque appellantur.*

Latius tamen *Virtutis* vocabulo sumpto, quàm à Philosophis accipitur. *Virtutes* enim hic appellamus sanctos affectus, sanctas cogitationes & actiones.

2. *Eadem per synecdochen* charitatis *nomine comprehenduntur.*

Sic enim totam Legem Christus charitatis erga Deum & proximum præcepto constare dicit, cum charitas erga Deum, ad primum præceptum pertineat; charitas vero erga proximum, ad posteriorem Legis tabulam.

III. *Causa bonorum operum efficiens princeps, est Spiritus sanctus, quoad inchoationem, continuationem, & perfectionem.*

Ejusdem enim est, bonum opus in nobis incipere & perficere. Philipp. 1. 6. | item *dare τὸ velle & posse seu efficere*, cap. 2. 13.

IV. *Causa instrumentalis eorum, est fides, bonorum operum radix.*

Rom. 14. 23. *Quicquid ex fide non est, peccatum est.*

V. *Materia bonorum operum, sunt affectus & actiones hominis renati.*

VI. *Forma eorundem, est congruentia cum præceptis Decalogi.*

Cùm enim peccatum sit ἀνομία, 1 Ioan. 3. 4. ne- | cesse est peccatum esse quicquid à Lege deviat.

VII. *Bona opera igitur non sunt, quæ ad hominum, non ad Dei mandata conformantur.*

Esa. 29. 13. Matth. 15. 9. *Frustra me colunt, docentes* | *doctrinas, quæ sunt mandata hominum.*

VIII. *Nec bona opera sunt quæ Pontificii supererogationis nominant quibus plus quàm in Lege præcipitur præstari perhibent.*

IX. *Fundamentum opinionis illorum consistit in figmento de consiliis seu rebus non præceptis, sed nostræ libertati commissis, quarum intermissio pœnam quidem non accersat, impletio verò Legis impletione gravior sit & præmium mereatur.*

Talia consilia exstare volunt, Matth. 19. 11. ubi consilium de cœlibatu, non præceptum contineri, aiunt, Et vers. 21. ubi Juveni consilium, non præceptum datum esse, asserunt, ut bonis suis venditis ac in pauperes distributis, Christum sequeretur. Et 1 Cor. 7. ubi itidem consilium de cœlibatu dari dicunt.

Hæc verò sententia de operibus supererogationis & consiliis falsa est. *I.* Quia Lex imperfectionis arguitur, dum consilio-

rum

rum exſecutio Legis implet ioni præ ertur. II. Quia ſi nemo Legem implere poteſt, tum multo minùs quiſquam implebit quæ graviora ſunt Lege. III. Quia quotidie remiſſionem peccatorum petere, & talia opera jactare, ſunt ἀσύστατα.

Loca ſuprà citata non de conſiliis hominem non obligantibus, ſed de præceptis intelliguntur, particularibus quidem & certis perſonis prò ſtatus & donorum ratione accommodatis, ſed præceptis generalibus ſubordinatis, Matth. 19. 11. cœlibatus non ſuadetur tantum, ſed præcipitur, duabus tamen conditionibus adjectis. I. Si Regni Cœlorum ratio id poſtulet. II. Si homo de continentiæ dono certus ſit. Sic verſ 21. Adoleſcenti non conſilium, ſed præceptum datur, ut detrahatur ipſi larva hypocriſeos, qua totius Legis impletionem ibi arrogavit. Et 1 Cor. 7. cœlibatum iis, qui continentiæ donum habent, non ſimpliciter, ſed propter temporum illorum difficultatem expedire docetur. Iam vero quid Legi divinæ magis conſentaneum eſt, quàm omnibus terrenis gloriæ divinæ cauſà renunciare? Nihil igitur his locis conſulitur, quàm quod Lex quoque præcipit.

x. *Finis bonorum operum triplex: Dei glorificatio noſtræque erga eum gratitudinis teſtificatio, ſalutis noſtræ certitudo, & proximi ædificatio.*

Dei & proximi cauſà bonis operibus ſtudendum eſſe, Matth. 5 16. docetur: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant veſtra bona opera, glorifientque Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.* Noſtri vero cauſa præſtanda ſunt; quia ſalutis, electionis, vocationis & juſtificationis certi eſſe non poſſumus, niſi ex operibus bonis, tanquam fidei, juſtificationis & ſanctificationis effectis. Unde Joannes inquit, *Qui bene agit, ex Deo eſt*, 1 Epiſt. 3. 11.

xi. *Subjectum bonorum operum, eſt homo regenitus.*

Hoc ſuperioris libri cap. 10. ex corruptione naturæ noſtræ probatum eſt. Unde apparet, quàm futilis ſit Scholaſticorum doctrina de merito de congruo & de condigno, quorum illud hominis non renati, ſeu ante primam gratiam, hoc vero eiuſdem operibus poſt primam gratiam acceptam tribuunt. Illud meritum *de congruo* nominant, quod congruum ſit, ut Deus homini ſecundum virtutem ſuam operanti, præmium reddat: hoc vero meritum *de condigno* nominant, quia proportio ſit meriti & præmii. Cuius ſententiæ paduit Stapletonum & Bellarminum.

XII. *Adjuncta bonorum operum ſunt, imperfectio & eorundem nihilominus neceſſitas.*

XIII. *Imperfecta ſunt Sanctorum bona opera, quoad viatores ſunt; perfecta autem erunt in ſtatu Beatorum.*

Nec obſtant loca, quibus Sancti *perfecte ambulaſſe, & neque ad dextram, neque ad ſiniſtram declinaſſe* dicuntur. Iſtiuſmodi enim locis, non tam perfectio ipſa, quàm eius ſtudium, nec tam gradum, quàm partium perfectio, ſeu ſinceritas & integritas intelligitur, quâ fideles (quorum peccata alibi Scriptura ipſa memorat) Deo ἁγνοκαρδίως ex cordis ſui ſimplicitate ſervire ſtudent.

XIV. *Imperfectio tamen hæc Chriſti perfectione tegitur: unde opera noſtra ſemiplena, imò maximè adhuc cum infirmitatibus conjuncta pro perfectis reputantur. Hac ratione de Eccleſia dicitur, quod nec rugam, nec maculam habeat.*

XV. *Neceſſaria ſunt bona opera, neceſſitate præcepti & medii, non autem neceſſitate cauſæ & meriti.*

Ratione

Ratione præcepti neceſſaria ſunt; quia ſi udium bonorum operum in tota Scriptura nobis ſeveriſſime injungitur. Ratione medii neceſſaria ſunt quia vocationis & electionis veræque fidei ſunt indicia & ſigna; & quia modus ſeu via ſunt, qua ad cœleſtem Beatitatem itur. Ut vero ſi quis hæreditatis obtinendæ causâ Baſileâ Argentinam eat, via ſeu iter medium quidem eſt, ſed non cauſa meritoria hæreditatis: ita hoc quoque in negotio ſe res habet. Meriti rationem tum demum haberent opera, ſi, quæ ſequenti diſticho exprimuntur, ipſis tribui poſſent,

1 2
Da tua: ſed quæ non debes;
3-
proportio & adſit:
Non aliter meritum dixeris eſſe tuum.

Primum enim, ut opus bonum meriti rationem habeat, requiritur, ut noſtrum & ex nobis ſit. II, Ut ſit indebitum. III, Ut mercedi ſit æquale. At I, Bona opera ſunt à nobis, non tamen ſunt ex nobis, 2 Corinth. 3. 5. II. Eadem præſtare tenemur, adeo ut ſi omnia feciſſemus, fatendum nihilominus foret, *nos inutiles ſervos eſſe*, Luc, 17. 10. III. Nulla eſt illorum proportio, ſi conferantur cum Vitæ æternæ dono.

CAPUT II.

In quo
De Virtutibus ad univerſum Dei cultum & decalogum pertinentibus.

VIrtutes ſeu bona opera generalia ſunt, aut ſpecialia: illa ad univerſum Dei cultum, ideóq; ad totum Decalogum pertinent; hæc ad alterutram tabulam ſeu ſingula præcepta.

Prioris generis Virtutes ſunt Intellectus, aut Voluntatis.

Virtutes Intellectus ſunt, Sapientia & Prudentia.

Sapientia eſt virtus, quâ & Dei voluntatem, & noſtram infirmitatem perſpectam habemus, ut,

ut, quæ voluntati Dei consentanea sint, faciamus, & vires faciendi seriis precibus à Deo petamus.

Rom. 12. 2. *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona illa placens & perfecta,* Psalm. 143. 10. *Doce me facere placitum tuum, quia tu Deus meus es: tuo Spiritu bono duc me per viam planam.*

Opponitur ei Stultitia seu viarum Dei ignorantia, & δοξοσοφία seu Sapientiæ opinio.

Ierem. 5. 4. *Stultè agunt qui ignorant viam Iehovæ, jus Dei,* Proverb. 3. 7. *Ne esto sapiens judicio tuo.* Ecclesiast. 7. 16. *Ne sis sapiens nimium.*

Prudentia est virtus, quâ prævidemus, quo quidque tempore, loco & modo faciendum, & qui negotii suscepti futurus sit eventus.

Canones.

I. *Prudentia consiliorum & actionum directrix est.*

II. *Prudentiæ est, Mundo diffidere, & se non temere cuivis credere.*

Ierem. 9. 4. *Quisque ab amico suo cavete,* Mat. 10. 16. *Prudentes estote sicut serpentes & simplices, ut columbæ.*

III. *Prudentiæ est, simulare & dissimulare.*

Sciendum tamen hic, quo fine & quando simulare aut dissimulare liceat. Finis est, aut Ecclesiæ pio rumve ædificatio, aut rerum necessariarum explorato, aut periculorum aversio, aut studium vitandæ ἀλαζονείας. Facere autem hoc licet tum, quando salva Dei gloriâ, citra fraudem veritatis, charitatis, justitiæ, vocationis & officii fieri potest.

IV. *Prudentia est, in malis culpæ nullum, in malis pœnæ minus eligere.*

Sic

Sic David, triplici pœnâ nominatâ, peſtem præ bello & fame elegit, 2 Sam. 24.12. Cyprianus à Præſide deliberare juſſus, an parere, an verò interfici velit, reſpondit, *In re tam ſancta non deliberandum.* Condæus tribus ipſi Carolo nono Galliarum Rege propoſitis, Miſſa, Morte, & perpetuo carcere: reſpondit, ſe, Deo favente, primum nunquam electurum, ex duobus reliquis vero ſe alterum voluntarî Regis liberum relinquere.

Prudentiæ opponitur Imprudentia & Verſutia ac Prudentiæ opinio.

Matth. 25.3. *Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus ſuis, non acceperant oleum ſecum,* Luc. 16.8. *Et laudavit Dominus Diſpenſatorem injuſtum, quod prudenter feciſſet:* ubi verſutia *prudentia* dicitur, κατὰ τὴν φρόνησιν τοῦ οἰκονόμου. Rom. 12.16. *Ne eſtote prudentes apud voſmetipſos.*

Dictum eſt de virtutibus mentis: Voluntatis virtutes generales ſunt, Integritas, Προθυμία ſeu Promptitudo, & Conſtantia.

Integritas eſt, quâ obedientiam Deo quantumvis imperfectam, ſerio tamen propoſito ἀνυποκρίτως & tanquam coram Dei oculis præſtamus.

Deut. 18.13. *Integer eſto cum Iehova Deo tuo,* 2 Cor. 1.12. *Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium videlicet conſcientiæ noſtræ.*

Opponitur ei Conſcientiæ contemtus & Conſcientia ſimulata ſeu Hypocriſis.

1 Tim. 1.19,20. *Retinens fidem & bonâ conſcientiâ, quâ expulſa nonnulli fidei naufragium fecerunt. Ex quibus Hymenæus & Alexander* Ioan. 18. 28. *Sacerdotes non introierunt in Prætorium, ne polluerentur, ſed ut ederent Paſcha.*

Προθυμία ſeu Promptitudo, Hilaritas & Alacritas, eſt virtus, quâ ſponte & cum gaudio Deo obeditur.

Pſalm.

Psalm. 40.9. *Facere voluntatem tuam, Deus mi. delector,* Psal. 110. 3. *Populus tuus spontaneus.* 2. Cor. 9.7. *Hilarem datorem diligit* Deus.

Opponitur ei Præcipitantia & Coactio.

Matth. 8. 19. *Et cum accessisset quidam Scriba, dicit ei, Magister, sequar te, quocunque;* 2 Cor. 9.7. *Quisque; sicut præoptat corde, ità agat! non ex tristitia, aut necessitate*

Constantia, est virtus, quâ homo in Dei cognitione, professione & cultu usque ad finem perseverare paratus est.

Mat. 25.13. *Sed qui substiterit ad finem usque is servabitur.* Exempla in Prophetis, Apostolis & Martyribus.

Ei opponitur Inconstantia & Pertinacia in errore seu malo proposito.

Luc. 9.62. *Nemo, qui manu sua admota aratro, respexerit ad ea quæ retro sunt, apposítus est ad regnum Dei;* Act. 7.51. *Duri cervice & incircumcisi corde, &c.*

CAPUT III.

In quo

De Operibus ad primum Præceptum pertinentibus.

TAntum de generalibus virtutibus & operibus. Specialia ad cultum Dei immediatum aut mediatum pertinent.

Immediatus Dei cultus est, qui Deo immediatè præstatur, & priore tabula docetur.

Estque internus tantum, vel internus & externus simul.

Internus tantum cultus est, qui in corde residet, & primo Dei mandato præcipitur.

Summa eius est: Ut ipsum solum pro Deo agnoscamus et colamus.

Præ-

Præceptum negativum est, *Ne esto tibi ullus Deorum alienorum ante faciem meam.* Ex hoc colligitur affirmativum; *Me solum pro Deo agnoscito & colito.*

Ad hoc igitur præceptum pertinet Agnitio Dei et Religiosus erga eum affectus.

Agnitio Dei est, quâ Deum, qui se in Scripturis cognoscendum Præbet, pro unico & solo vero Deo agnoscimus.

Deut. 6. 4. *Audi Israel, Iehova Deus noster, Iehova unus est,* Esay. 46. 9. *Recordamini priorum inde a seculo me esse Deum vestrum, & nullum præterea Deum esse, & neminem parem mihi.*

Huic opponitur Atheismus & Polytheismus.

Psal. 14. 1. *Dicit stultus cum animo suo, Non est Deus,* Galat. 4. 8. *Imo tum quidem ignorantes Deum serviebatis iis, qui natura non sunt Dei.*

Religiosus erga Deum affectus in Fide, Fiducia in Deo, Spe, Charitate, Timore, Resipiscentiâ, Patientiâ, et Animi gratitudine consideratur.

Pro deo enim *aliquem agnoscere*, est, in eum credere, fiduciam & spem in eo collocare, eum supra omnia diligere & timere, voluntati ejus patienter se submittere, & omnia bona pro eius donis agnoscere.

Fides est, quâ Deum tanquam nostrum Deum et Patrem amplectimur, ejusq; Verbo promissionibus et comminationibus firmiter credimus.

Fides supra considerata fuit ut instrumentum Iustificationis & Sanctificationis: hic vero considerabitur ut virtus & opus ad Dei internum cultum relatum.

Opponuntur ei Ἀπιστία, seu *Infidelitas*, et Dubitatio de bonitate aut Potentia Dei: Præsumtio item fidei.

Psalm.

Psal. 78. 22. *Israelita non crediderunt in Deum, neque confisi erant in salutem eius.* Num. 20. 12. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificare.* | *tis me, &c.* Iac. 2. 14. *Quæ est utilitas fratres mei, si quis fidem habere se dicat, opera vero non habeat? Num potest fides illa eum servare?*

Fiducia est virtus, quâ in *Deo* ejúsque promissionibus acquiescimus, & toti ab eo, in omnibus tam corporalibus, quàm spiritualibus pendemus.

De Fiducia, quatenus promissiones de Christo cordi applicat, & forma fidei exsistit, suprà actum est: hic ut fidei effectum | consideratur, De hac Solomon inquit, Prov. 3. 5. *Fiduciam habe in Iehova ex toto animo tuo.*

Opponuntur ei Diffidentia erga Deum, & Fiducia idololatrica.

Diffidentiæ exemplum est in Israelitis, Psalm. 78. 19, 20. in *Davide*, 1. Sam. 27. 1. in *Duce Regio*, 2. *Reg.* 6. 35. in Ahaso, Esaiæ 7. 12. in iis, qui nimia victus solicitudine anguntur, *Matth.* 6. 25. Fiducia idololatrica est, quam homo aut in *Diabolo* collocat, ut Magi: aut in *Idolis*, ut Achasia. 2. Reg. 1. 2. aut in hominum figmentis, sicut | Papani? aut in humano brachio, Ier. 17. 5. aut in tœderibus, munitionibus, medicamentis, &c. Sicut Asa Syriorum opem implorans, & prius Medicos quam Deum consulens, 2. Chron. 16. 7. & 12. Alioquin externis præsidiis uti licet, modo fiduciam in eis non ponamus. Utendum illis, non nitendum.

Spes est, quâ futura *Dei* beneficia, imprimis autem salutis nostræ complementum, *Dei* promissionibus & Christi merito nixi, indubitatò expectamus.

Differt Spes à fide ut effectus à causâ Fidei: obiectum est promissio, | quâ illa nititur; Spei obiectum est res promissa, quam illa expectat.

Ei

Ei opponitur Dubitatio, Deſperatio, & Spes idololatrica.

Dubitatio etiam in pios quandoq; cadit, 1 Sam. 27. 1. *Tandem dixit David cum animo ſuo, conſumar aliquo die manu Saulis.* Deſperatio plenaria & finalis non niſi in reprobos, quales erant Cain, Gen. 4. Saul, 1. Sam. 28 et 31. Achitophel, 2 Sam 17. Judas, Matth. 27. et ſimiles, Spes idololatrica in Pontificiis deprehenditur, qui crucem ligneam, Mariam, &c. ſpem ſuam nominant, & vitam æternam propter opera, ſatisfactiones, et indulgentias ſperant.

Charitas eſt quâ Deus tanquam ſummum bonum ſincerè & ſupra omnia amatur.

Sic enim præcipitur Deut. 6. 5. Matth. 22. 37.

Opponuntur ei odium Dei & Charitas idololatrica, quâ Mundus & quæ in eo ſunt, ſupra Deum amantur.

Ioan. 15 28. *Oderunt tum me, tum Patrem meum*, 1. Ioa. 2. 15 *Si quis diligit mundum non eſt charitas Patris in eo.*

Timor Dei eſt: quo Dei Verbum et Majeſtatem ſic reveremur, ut offenſam tam benigni Patris omnibus modis præcaveamus, non tam pœnæ formidine quam Dei amore.

Timor Dei quandoque pro toto Dei cultu ſumitur: hoc vero loco ea virtus intelligitur, quæ *timor filialis* appellatur.

Huic opponitur Securitas carnalis, Timor ſervilis, et Timor idololatricus.

Securitas aliter in piis, aliter in impiis ſe habet. In piis ita, ut non excutiatur omnis Dei timor. In impiis vero eſt omnimoda carentia reverentiæ Dei, timor ſervilis differt a filiali: 1. Quia filialis ex amore Dei, ſervilis ex metu, imo odio Dei promanat. II. Quia filialis offenſam Dei tanquam Patris, ſervi-

servilis vero pœnam Dei tanquàm Iudicis metuit. III. Quia filialis hominem ad Deum allicit, servilis hominem à Deo abstrahit. Timor idololatricus non solùm is est, quo ab idolis, sed quo ab hominibus, & à Mundo magis sibi metuit homo, quàm á Deo, Mat. 10.28. *Ne timete eos, qui corpus occidere possunt.*

Pœnitentia est, quâ peccata agnoscimus, agnita deploramus, fiduciaque in Dei misericordia et Christi merito nos erigimus, cum firmissimo à peccatis abstinendi & Deo obediendi proposito.

Resipiscentiæ & Pœnitentiæ, sicut μετανοίας quoq; & μεταμελείας nomina quomodo differant, superiore libro capite 30, indicatum fuit. Sumitur autem *Resipiscentiæ* vox, vel pro tota hominis mutatione seu vocatione speciali, vel pro sanctificatione, vel pro sanctificationis effectu & parte cultus Dei interni. Atq; in tertia significatione demum huc pertinet.

Partes ejus tres sunt. 1, Contritio. 2. Fiducia. 3. Emendationis propositum.

Huic opponitur Perseveratio & induratio in peccatis & ficta ac idololatrica quoq; Pœnitentia.

Fictæ pœnitentiæ exemplum est in Ahabo, 1. Reg. 21. Idololatrica vero est pœnitentia Papistarum, quam ponunt, 1. In contritione. 2, In confessione. 3. In satisfactione, quâque peccata expiari putant. Atqui hæc tria in Judæ quoque pœnitentia cernuntur, Matth. 27.

Gratitudo erga Deum est, qua humiliter agnoscimus dona & bona Dei in nos indignos collocata, cum serio Deum glorificandi proposito.

Genes. 32.10. *Impar sum*, inquit Iacob, *omnibus istis beneficiis.*

Opponitur ei Ἀχαριστία seu *Ingratitudo* in Deum, quâ nulla erga Deum gratitudo declaratur

ratur, aut homo Dei beneficia sibi, aut creaturis, aut idolis accepta fert.

Esaiæ 1, 2. *Filios educavi & extuli, ipsi autem defecerunt a me*, Ier. 44, 17. *Adolendo rebus cœlestibus, & libando eis libamina, satiebamur cibo, & eramus hilares, ac malum non experiebamur.* Hab. 1. 16. *Impius sacrificat plagis suis, & suffitum facit retinaculo suo.*

Patientia est, quâ fide Providentiæ, Potentiæ, & Bonitatis Dei suffulti, afflictionibus ab ipso nobis immissis, placide nos ejus manui submittimus.

Afflictionum, in quibus Patientia se exercet, variæ species sunt. Nam præter τιμωρίαν, seu *vindictam*, quam Deus in impios exercet, afflictio piorum aut παιδεία est, seu *castigatio*, aut δοκιμασία, *tentatio* seu *exploratio*, aut denique martyrium, idq; cruentum, cum sanguinis effusione coniunctum, vel incruentum.

Patientiæ opponitur Impatientia, Patientia hypocritica, & Stoica ἀπάθεια.

Ad impatientiam pertinet μεμψιμοιρία, seu *querimonia* in afflictionibus, quasi præter meritum evenirent; & mollities. Hypocritica patientia in illis cernitur, qui cruciatus ipsi sibi acceersunt, ut Baalitæ. 1. Re. 18. 28. Eremitæ, flagellatores. &c. Stoica vero ἀπάθεια ideo rejicitur, quia patientiæ non repugnat sensus dolorum, & querelæ seu lamentationes; dummodo contra *Deum* nihil proferatur, ac non tam de pœna, quàm de peccatis queritemur.

CAPUT IV.

In quo

De operibus ad II. III. IV. *Præceptum pertinentibus in genere.*

DIctum est de cultu Dei interno. Sequitur nunc cultus eiusdem partim internus, partim externus, qui vera religio appellari solet

&

& sequentibus tribus præceptis mandatur.

Vera Religio est, quâ Deus ritibus à se præscriptis, et vera Nominis ejus sanctificatione tum in tota vita nostra, tum imprimis tempore à Deo destinato colitur.

CANONES.

I. *Religio & Pietas (Græcis* Εὐσέβεια, Θεοσέβεια *&* Θεοπρέπεια*) generali significatione omnem Dei cultum: specialiter cultum Dei immediatum; specialissimè verò aut internum solum, aut externum & internum simul denotat.*

II. *Appellatur in Scripturis* Δουλεία, *&* Λατρεία.

Pontificii Λατρείαν Deo Δουλείαν sanctis Angelis et hominibus, Ὑπερδουλείαν Mariæ tribuunt. Sed sine Scriptura, imo contra eam. Nam et λατρεύειν, Matth. 4. 10. et δουλεύειν, Matth. 6. 24. soli Deo jubemur.

III. *Religio vera, divina est ortu, materiâ, formâ & fine.*

IV. *Religio vera unica tantum est.*

Sola enim vera religio est, quæ Verbo Dei respondet. Verum & Unum convertuntur.

V. *Religio cum omnibus tum imprimis Magistratibus & Ministris curæ esse debet.*

Sunt enim Ecclesiæ nutricii. Præstant autem hoc Ecclesias et scholas conservando, Ministros alendo.

VI. *Vera Religio antiquissima est, quippe quæ jam in Paradiso cœpit.*

VII. *Non solum externa est, sed interna quoque.*

Ro. 2. 29. *Non eum qui in propatulo Judæus est, Judæus est: nec ea quæ est in propatulo circumcisio. Id est, in carne, circumcisio est: sed qui in occulto Judæus est & circumcisio cordis.*

VIII. Re-

VIII. *Religio non cogenda, sed docenda est.*

A. R. Rationes cur fides suaderi debeat non cogi, hæ sunt inter alias: 1. *Fides est ex auditu*, id asserente Apostolo: atqui auditus, meditatio, Lectio, preces, quibus & ingeneratur & alitur religio, voluntariæ actiones sunt. 2. Religio suum sibi domicilium sedemque habet in voluntate: atqui voluntas non potest cogi. Præclare *Lactantius* de Inst. l. 5. c. 20. *Nihil est tam voluntarium quàm religio: in quâ si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.* 3. In propagandâ religione, proinde nos gerere debemus, ac in conversione nostrâ sese gerit Deus; non ille nos vi adigit, non obtorto trahit collo invitos ac repugnantes, sed leniter suadet, invitat, inducit. 4. Nullum violentum est diuturnum: & exigui prædicationem temporis obtinet coacta religio. 5. Religio est gratuitum dei donum: quæ sicut gratis offertur, ita grato, prono lubentique animo excipiatur oportet. 6. Quemadmodum non est is habendus pro Hæretico, aut Idololatrâ, qui coactus ista suscipit: ita non is religione sed scelere devinciatur, qui alterius jussu, coactu, pius est. 7. Neque Christus, vel Apostoli ipsius hanc nobis viam præiverunt disseminandæ religionis: verbo illi, non gladio usi sunt. 8. Christus tantum aberat à vi inferendâ conscientiis hominum, ut maluerit zizania tolerari, et una cum tritico adolescere, quàm per vim eradicari. 9. Usu comperimus religionis propagationem vi adhibitâ retardari, potius quam corroborari: et quanto quis atrocius in homines conscientiâ illigatos desævierit, tanto illi pertinacius retinent quas amplexi sunt opinio-

nes;

ones, nec se iis patiuntur excuti aut avelli: quo modo viator, cœlo jam turbido, et increbrescente vento pallium ad se diligentius colligit. *Sanguis martyrum semen Ecclesiæ*, etiam quæ sit *malignantium*. 10. Nihil est quod in rebus civilibus maius momentum habeat, nihil quod maiores turbas dederit, tumultus conciverit, inclinationes temporum rerumque conversiones attulerit, quam coacta religio et per vim imposita: quocirca prudenter Romani cum Judæos in potestatem suam redegissent, nihil in religione usitata mutarunt: neque iis id moris erat ut deos suos victis gentibus colendos ingererent, arma Romana per universum orbem circumferebant, non autem religionem, in quam nemi-nem adigebant. 11. Ubi vis dominatur, exulat justitia. 12. Imo frustra ibi deum requiras, qui non est reperiendus in terræ-motibus, procellis atque turbinibus, sed in voce leni atque tranquilla. 13. Religionem cogere, quid hoc aliud est quam hypocrisin propagare? Hypocritæ enim sunt quotquot aliam religionem præ se ferunt ac mente amplectuntur. 14. Siquis rem ipsam penitius introspiciet, inveniet nihil esse vel ipsi religioni perniciosius, quam ut vi & armis disseminetur: nam cum plus periculi nobis comparetur ab occulto quam aperto hoste, cum professa odia minus noceant, quid nobis non erit extimescendum, quod discrimen non adibimus, si tot scelus anhelantes, pestem religionis nefariè molientes, ad fucatam tantummodo pietatem, (longius enim quo progrediatur humana industria non habet) ad simulatam amicitiam traduxerimus.

mus, & perpulerimus? ipſam mehercule eccleſiam complexu ſuo ſtrangulabunt, & quem ore diſſuaviantur Jeſum Chriſtum clanculum opprimere conabuntur. 15. Fides eſt donum dei, virtus nempe theologica, quæ divinitus infunditur, non humanâ ope atque induſtriâ acquiritur, quod ſi non eſt in poteſtate noſtrâ ut credamus, niſi cœlitus id indultum fuerit? quomodo illud erit in poteſtate alienâ ut cogat, quo nos ipſi aſpirare non poſſumus? Quomodo acci. pere poterimus, quod non datur? aut quâ ratione profittebimur, quod non accepimus?

IX. *Religio armis non propaganda: armis tamen defendenda eſt.*

Exemplo piorum Regum Macchabæorum, item & Imperatorum, imprimis Conſtantini M. Theodoſ. M. &c.

X. *Si quid in religionem depravationis irrepſerit, à Principe ſeu Magiſtratu reformandum eſt.*

Exemplo Moſis, Ioſuæ, Davidis, Aſæ, Ioſaphati, Ezechiæ, Ioſiæ, Conſtantivi M. Theodoſii, &c.

XI. *Si Magiſtratus ſit hoſtis Eccleſiæ, nec reformatio ab eo impetrari queat, tum reformatio incumbit iis, quos Deus donis ad hoc neceſſariis inſtruxit, nec Eccleſiæ aut Epiſcoporum conſenſus exſpectandus eſt.*

Exempla ſunt in Gedeone, Iehoiada, Macchabæis, Apoſtolis, &c. Sane ſi Romanorum Epiſcoporum conſenſum expectaſſent Maiores noſtri, nihil unquam reformatum fuiſſet.

Religioni Veræ opponitur Epicureiſmus et falſa Religio.

CAPUT

CAPUT V.

In quo

De *Operibus ad secundum Præceptum in specie pertinentibus.*

REligionis veræ tum partes, tum tempus divinitus præscriptum considerari debet.

Partes veræ Religionis duæ sunt, Ritus ille, quo Deus in Ecclesia coli vult; & Sanctificatio nominis ejus, in reliqua tota vita.

Ritus Deum colendi est, quem nobis in Verbo suo præscripsit: de quo agitur præcepto secundo, cujus summa est, Eo Deum ritu colendum esse, quem Ecclesiæ suæ præscripsit.

Patet hoc ex recta mandati secundi analysi, quod perperam cum primo præcepto confunditur. Ut enim primo præcepto indicatur, quis pro Deo colendus sit, ita hoc secundo ostenditur quo ritu coli velit. Et ut primo præcepto interna Idololatria opponitur, ita secundo externa adversatur. Partes hujus præcepti duæ sunt, Prohibitio & Confirmatio. Prohibitionis duo sunt membra, prius de Idolorum fabrica, posterius de Idolorum veneratione. De fabrica Idolorum ait, *Ne facito tibi sculptile, aut ullam imaginem:* eamq; subjectorum enumeratione illustrat: *neq; eorum,* inquit, *quæ in cœlis suprà, aut quæ in terra infrà, aut quæ in aquis infra terram.* Veneratio Idolorum duplici modo declaratur, adoratione seu incurvatione, et cultu. Confirmatio constat comminatione & promissione. Utraq; illustratur à natura Dei, et ab objecto; illic enim se *Iehovam Deum fortē, Zelotem, visitantē iniquitatē;* hic vero *misericordē* describit: illic pœnam *in tertiā & quartam generationem ipsum odio habentium:* hic vero *benignitatem in millesimā generationem ipsum diligentium* denunciat. Iam præcepti summa quæ sit, docet processus, primo à specie ad genus. Idololatria enim prohibetur una cum omnibus ritibus Dei Verbo non contentis aut ei contrariis: secundo, à negatione ad affirmationem contrarii, præcipitur enim, ut Deum colamus eo ritu, quem Ecclesiæ præscripsit. Ri-

Ritus Ecclesiæ præscripti tum partes, tum ad-minicula spectari debent.

Partes ejus sunt recta Verbi et Sacramentorum Tractatio, et *Oratio*.

Recta Verbi et Sacramentorum Tractatio est, quâ omnia ex illorum promulgatione et administratione fiunt, secundùm Christi institutionem.

Oratio est, quâ *Deum* cum vera ac humili cordis contritione alloquimur, de iis quæ sanctæ eius voluntati sunt consentanea.

Estq; aut invocatio *Dei*, aut Gratiarum actio.

CANONES.

I. *Causa Orationis efficiens communiter, est tota SS. Trinitas: singulariter vero, Spiritus sanctus.*

Unde *Spiritus precum* nominatur, Zach. 12. 10.

II. *Causæ impulsivæ ex parte Dei sunt eius (a) mandatum, (b) promissio exauditionis, (c) Maiestas, (d) Bonitas, (e) Beneficia: ex parte nostri vero necessitas nostra, quæ colligitur ex consideratione inopiæ, calamitatum, tentationum, periculorum, &c.*

(a) Ioan. 6. 24. & Ps. 50. 15. Esa. 55. 6. (b) Matth. 7. 7. 1 Timoth. 2. 1. Iac. 1. 17. Esa. 65. 24. & jam citatis locis. (c) 2. Reg. 19. 15. (d) Psal. 86. 4. 5. (e) Psalm. 34. 5. & 105. 2. &c.

III. *Materia Orationis sunt, tum impetrata, tum impetranda.*

IV. *Forma seu Idea veræ ac religiosæ Orationis est Oratio Dominica.*

Partes ejus quatuor sunt. Exordium, Petitiones, Cōfirmatio & conclusio. Exordium sic sonans, *Pater noster, qui es in cælis* eò directum est, ut animi nostri disponantur, 1, Addocilitatem; indicat enim, quis invocandus sit, nempe Deus ille, qui in Iesu Christo *Pater* nobis factus est, nos adoptando in filios suos. 2. Ad humilitatem; quia non terrenus, sed *cælestis* ille *Pater* est. 3. Ad fiduciam exauditionis: vult enim nos exaudire, quia *Pater noster* est: potest, quia *Pater cælestis* est. 4. Ad charitatem: quia orare docemur, *Pater noster*, Petitionum duæ sunt classes. Priorem earum est, quæ ad Dei gloriam tendunt, quarum prima & præcipua est, *Sanctificetur Nomen tuum.* Huic posteriores duæ subordinatæ sunt: *Adveniat Regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in cælis, ita & in terra.* Posterior classis earum est petitionum, quæ ad nostram necessitatem pertinent, tam quoad præsentem vitam, quam quoad futuram. Ad præsentem facit quarta petitio, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Ad futuram spectant duæ postremæ; *Et remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris: Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo;* illa ad justificationis, hæc ad sanctificationis donum commodè retertur. Confirmatio his verbis sequitur: *Quia tuum est Regnum, Potentia & Gloria in secula seculorum:* quibus docetur, 1. Cordi esse Deo preces nostras, quia Rex noster est, quippe *cujus est Regnum.* 2. Posse nos ab ipso exaudiri, quia *ejus est Potentia.* 3. Velle Deum nos exaudire, quia *ejus est Gloria.* 4. Nec mutari ejus in nos affectum, quia talis est *in secula seculorum.* Conclusio est in particula *Amen*, qua & serio & cum exauditionis fiducia nos hæc petiisse testamur.

v. *Finis Orationis, est Dei gloria & salus nostra.*

Hæc enim Orationis α & ω. Unde orationis dominicæ petitiones à Dei gloria inchoantur, & in salute nostra terminantur.

VI. Effe-

VI. *Effecta Orationis sunt longè maxima: non ex Orationis velut operis operati merito, sed ex promissionis divinæ pacto.*

VII. *Objectum Orationis (*ad quod*) est tota SS. Trinitas; sic tamen, ut aut omnes personæ conjunctim, aut quælibet illarum separatim invocetur.*

Patrem invocandum esse, nemo negabit. Filium invocat Stephanus, Act. 7. 59. imo omnes Angeli eum adorant, Heb. 1. 6. Spiritum S. una cum Patre & Filio, Iohannes Apoc. 1. 4, 5. Et hymnus ille Angelorum; Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c. Filio quoque applicatur, Joan. 12. 41. et Spiritui sancto, Act. 28. 26, 27.

VIII. *Objectum Orationis (pro quo) sunt non mortui, sed viventes & ad mortem non peccantes.*

Pro iis enim, qui ad mortem peccant, orari Deus non vult. 1. Ioan. 5. 16. Pro mortuis non orandum: aut enim damnati, aut beati sunt: illis preces nostræ nihil prosunt, his necessariæ non sunt.

IX. *Objectum (contra quod) sunt aperti Dei hostes.*

Non autem statim ipsis imprecari debemus æternum exitium: sed orandus Deus, ut potenti sua manu eos humiliet & convertat: quod si vero converti nolint, in æternum eosdem puniat. Imprecationes ab iis factæ, qui prophetico spiritu à Deo donati erant, non temere nobis in exemplum sunt trahendæ; difficile enim est, inter eos, qui ad mortem peccant, & eos de quibus adhuc bene sperandum est, discernere.

X. *Preces conjunctæ esse debent cum humili peccatorum agnitione, cum vera & firma fiducia, ac constanti resipiscentiæ proposito.*

XI. *Externi gestus decenter usurpati ad devotionem animi tum excitandam, tum testificandam plurimum faciunt.*

Et hæc de partibus ritus illius, quo Deus à nobis vult coli: Æterna eiusdem adminicula sunt.

Ieiunium est abstinentia à cibo & potu, ad certum tempus ideo suscepta, ut carnis lascivia retundatur, & Deus ardentius à nobis colatur.

CANONES.

I. *Ieiunium coactum est, aut voluntarium. Illud pauperum est, ob cibi penuriam: hoc eorum, quos cibus non deficit. Voluntarium naturale, politicum, aut Ecclesiasticum est. Naturale est, quod valetudinis causâ suscipitur. Politicum est, quod publicorum negotiorum causâ à Magistratu indicitur. Ecclesiasticum denique est, quod definivimus.*

II. *Ieiunium Ecclesiasticum privatum est, aut publicum.*

III. *Privatum est, quod quisque sibi aut familiæ suæ propter causas privatas indicit.*

Exempla sunt, Iob. 1, 4. 2. Samuel. 3, 35. & 12. 16. Nehemiæ. 1, 4.

IV. *Publicum est, quod à Magistratu seu Ecclesia publicis de causis, & imprimis calamitatibus ingruentibus præcipitur.*

Exempla, 2 Chron. 20. Esthræ. 4.

V. *Verum ieiunium ex modo & fine iudicandum.*

VI. *Modum si spectemus, verum Ieiunium,* 1. *Non in ciborum delectu, sed in abstinentia ab omni cibo:* 2. *Non in externa tantum abstinentia à cibo, sed & in abstinentia à peccatis consistit.*

Esa. 58. 6. &c. Ioel. 2. 12.

VII. Finis

VII. *Finis Jejunii nullus alius esse debet, nisi ut cultui divino ac precibus ardentius vacemus, carnis lasciviam retundamus, coram Deo abiectionem, & coram proximo veram testemur resipiscentiam.*

VIII. *Jejunia non adstricta sunt certo tempori, ut in Veteri Testamento: sed libere, urgentibus necessariis causis, suscipi debent.*

Tale est Jejunium. Votum est pollicitatio de re licita Deo sancte facta, ad testificandam animi nostri ad Deum colendum promptitudinem.

CANONES.

I. *Votum hoc loco, non preces aut desiderium, sed promissionem religiosam denotat.*

II. *Votum generale est, aut speciale: illud de rebus præceptis est, & ab omnibus exigitur, quale est votum Baptismi: istud de rebus licitis est, & à quibusdam singulari de causâ suscipitur. Illud pars cultus divini; istud adminiculum tantum eius existit.*

III. *Votum speciale ex Efficiente, Materiâ Formâ et Fine judicandum est.*

IV. Efficientem si spectemus, excluduntur à voto speciali. 1. *Qui rationis et judicii usum nondum sunt assequuti.* 2. *Qui sui iuris non sunt, sed vel patriâ vel maritali autoritate constricti.* Num. 6.

V. *Materia voti, est res licita et in nostra potestate sita.*

VI. *Forma in deliberatione mentis, in proposito voluntatis, et in promissione interna aut etiam externa consistit.*

VII. *Finis, est vel grati animi testificatio, vel privatæ disciplinæ exercitamentum.* Prioris

Prioris generis votum est, cum quis ex morbo aut periculo liberatus votivam oblationem velut gratitudinis tesseram Deo consecrat. Posterioris generis votum est, cum quis à re alioquin licitâ, sibi tamen periculosâ, velut à vino aut similibus, voto abstinet.

VIII. *Subjectum, cui vota nuncupanda sunt solus Deus est.*

IX. *Votum nondum nuncupatum arbitrarium est: nuncupatum verò & legitimè factum, servandum est.*

Psal. 76. 12. Vovete, & vota reddite Iehovæ Deo nostro:

Hactenus de vero Deum colendi ritu; cui præter ejus intermissionem, opponitur ritus Deum colendi falsus.

Estque objecti ratione triplex: aut enim à Deo non præceptus; aut ab eo expressè prohibitus; aut præceptus quidem est, sed in alienum finem directus.

Ritus Deum colendi ab eo non præceptus ἐθελοθρησκεία dicitur, cultus nimirum ex humano cerebro confictus.

Hunc Deum colendi ritum Paulus opponit libertati Christianæ, Coloss. 2. 20, 21, 22, 23. *Itaque si mortui cum Christo, liberi estis ab elementis hujus Mundi, quid ut viventes in Mundo placitis obstringiminì? Nec esitaris, neque gustaris, neque tetigeris? Quæ omnia sunt comparata ipso usu ad corruptionem, præscripta ex præceptis & doctrinis hominum. Quæ rationem quidem habent sapientiæ in cultu voluntario,* (ἐν ἐθελοθρησκείᾳ,) *& submissione animi, & in eo, quod corpori non parcant: non tamen ullius sunt pretii cum ad ea spectent, quibus farcitur caro.* Tales sunt ritus à pontificiis introducti in Baptismi & Sacramentorum administratione. Quinque item Sacramenta ab ipsis conficta: Tempus orationi & precibus definitum; Linguæ Latinæ &

sphæ-

sphærularum in precibus usus: Iejunia in ciborum delectu potius, quam abstinentia posita: in primis jejunium quadragesimale: Votum item paupertatis. obedientiæ monasticæ & continentiæ religiosæ. Paupertatis votum impium exiſtit; quia cum homo, ex Dei mandato, in sudore vultus sui victum sibi quærere debeat, eiusmodi voluntaria paupertas ordini eius repugnat. Eadem ratio est voti obedientiæ; quia ille homo à Christo tam pretioso λυτρῳ redemtus, pecuniæ servituti subiicitur & à vocatione legitima abstrahitur. Temerarium vero est continentiæ votum; quia rarius vitæ donum est, & hoc voto quàm plurimi, sub prætextu castitatis, Satanæ laqueis implicantur.

Ritus cultus religiosi Dei Verbo prohibitus, est Idololatria & Sanctorum adoratio.

Idololatria, est quâ idolum fabricatur, retinetur, aut religiosè colitur.

Idololatriæ duo sunt genera. Prius est, cum pro *Deo* habetur & colitur, quod verus *Deus* non est; atq; hæc primo præcepto repugnat. Posterius idololatriæ genus est, cum verus quidem *Deus* colitur, sed aut in Idolis, aut in sanctis Angelis & demortuis.

Idolum est imago seu simulacrum cultus religiosi causa factum.

CANONES.

1. *Idolum ab imagine & simulacro ut species à genere differt.*

A. R. Idolum ab imagine aut simulacro ut species à genere differt: licet usus Ecclesiæ vocem Idoli ad Ethnicas superstitiones restrinxerit atque addixerit: ita ut omne *Idolum* sit imago, non autem omnis imago idolum. Re tamen vera, idem planè sunt εἴδωλον atque imago: nam εἴδωλον a voce εἶδος, *speciem* sive formam significante, descendit: illud autem ab εἴδω: *video*; à quo verbo deducitur etiam *Idea*, quæ est Species cuiusvis rei animo aut sensui ingenerata, pariter *imago* dicitur vel quasi *imitago*, veltanquam *eum ago* éstque *imitatio* aut repræsentatio rei cuiusvis: a quo fonte derivatur *imaginatio*, cui voci eadem quæ *idea* vis subiecta est. Idcirco εἰδώλων Homericum Virgilius per *imaginem* expressit. *Notâ major imago.* Æn: 2. et *Magna mei sub terras ibit imago.* Æn: 4. Quid, quæris? hæ voces *Imago, Simulachrum, umbra, effigies* Synonymæ sunt, & promiscue usurpantur passim à Latinis authoribus: at vero in SS. literis magnam reperimus istarum vocum differentiam: nam εἰκὼν, sive *imago* opponitur σκιᾷ sive umbræ. Hebr. 10.1. *Lex umbram obtinet futurorum bonorum, non ipsam expressam formam rerum*: quo in loco *forma* sive *imago*, εἰκὼν, realitatem notat sive substantiam ipsam et rerum: *umbra* vero apparentiam tantum. Hinc est quod Christus dicitur *imago* patris, non *umbra*, pictura, aut idolum. *Rupertus* differentiam ponit inter *imaginem* & *Similitudinem*, ait enim is Christum esse *imaginem* patris, at vero Spiritum Sanctum esse eiusdem *similitudinem*: quia dicit deus *faciamus hominem iuxta imaginem nostram atque iuxta similitudinem nostram*. Rup. de trin. l. 2. c.

l. 2. c. 2. atqui hæc curiosè subtilia sunt: nam in eo loco idem significatur geminis istis vocibus *imaginis* atque *similitudinis*.

Dupliciter igitur hoc in negotio errant Pontificii, primo, idem volunt esse idolum & simulacrum: ducti hac ratione, quod simulacra à simulando dicantur: cum à similando potius seu simili vox deducta sit. Non igitur statim omne simulacrum est idolum: si quidem Tertullianus hominem quoque simulacrum Dei nominat. Frustra conantur asserere, ubi in Scripturis est vox simulacri ibi in Græco esse εἴδωλον, Nam etiam in Latinis Bibliis testimonia sunt in contrarium. Exod. 34. 15. Levit. 26. 30. Act. 17. 23. Secundo statuunt Imagines rerum existentium esse, Idola non existentium, At notum est, etiam Gentiles idola habuisse non tantum fictarum, sed & earum rerum, quæ revera fuerunt. Nec obstat Pauli dictum, 1 Cor. 8. 4. *Scimus idolum nihil esse in Mundo*; id enim non objecti respectu dicit quod idolo repræsentatur, sed respectu virtutis, quæ in idolis nulla est.

II. *Idololatriæ tres gradus sunt, fabricatio, retentio, et cultus.*

III. *Fabricatio Idoli est, cum imago seu simulacrum fit cultus religiosi causa.*

IV. *Non igitur omnis imaginis aut simulacri fabrica est idololatria, talia enim memoriæ, oblectationis, aut alterius politici usûs causâ facere licet.*

V. *Cherubini, Serpens æneus, et similia Dei iussu facta sunt, non cultus religiosi causâ, sed ut essent typi Christi.*

Ineptè igitur illorum prætextu idola sua defendere volunt Papistæ. Nam I. Illa facere Deus iussit: hæc vero prohibuit. II. Illis nullus cultus religiosus exhiberi debuit: unde serpens æneus, ex quo adorari cœpit, confractus est: 2. Reg. 18. 4. hic vero cultus religiosus exhibetur. III, Cum typi omnes Christi adventu sublati sint, nihil tale in Novo testamento locum habet.

VI. *Imagines Christi, Angelorum, Mariæ & Sanctorum à Papanis fabricatæ, revera sunt Idola.*

Ratio; quia fabricantur cultus religiosi causâ. Pontificii Idola esse negant: *I.* quia non sunt simulacra rerum non existentium. *II.* Quia non agnoscantur pro diis. *III.* Quia Angelis facies humana tribuatur & alæ. *IV.* Quia Sancti revera humanam formam gesserint. *V.* Quia libri sint Laicorum. R. In primo & secundo argumento. I. Nulla est consequentia; utrinque falsa ponitur Idoli definitio; non enim tantum illud idolum est, quod est rei non existentis, aut quod pro *Deo* agnoscitur, nam & Gentiles idola habuerunt rerum quæ revera fuerunt, & idola à rebus ipsis discreverunt. *II.* Utrinque falsum est. Antecedens simpliciter intellectum. Certum enim est, papistas etiam Imagines facere eorum, qui nunquam fuerunt, ut *S.* Georgii, Christophori & similium. Certumquoq; multos istiusmodi Idola pro diis agnoscere, siquidem & vim divinam & honorem divinum illis tribuunt. In tertio itidem nulla est consequentia à vivis Imaginibus, quas Deus in visionibus exhibuit, ad Imagines mutas. In quarto hoc solum sequitur, Sanctorum Imagines fabricari posse, nempe si non id fiat cultus religiosi causa. In quinto falsum est Antecedens; quales enim libri sint patet ex *Ier.* 10.14, 15, & Hab. 2, 18, 19. ubi idola mendacii & vanitatis *Doctores* appellantur.

VII. *SS. Trinitatis imaginem fabricare Idolatria est maximè horrenda.*

Rationes sunt, I. Quia Deus imagines tales fieri non vult, *Deut.* 4.15. &c. II. Quia SS. Trinitas effingi aut similitudine repræsentari non potest, ut expresse docetur, *Esa.* 40.18 & 46.5. III. Quia similitudine hominis, aut simulacro, ex ligno aut lapide facta, *Deum* velle effingere, Majestati [illegible] contumelio-

40.19, 20. & 46.6. Rom. 1. 23. &c. Objiciunt, 1. Imagines, quibus *SS.* Trinitas repræsentatur, non exprimere *Dei* essentiam, sed tantum proprietates aut actiones. Ergo non esse *Idola*, 2. Imagines istas in visionibus oblatas esse; non igitur esse Idola. R. In primo argumento Antecedens laborat falsa separatione

tia, cum revera sint ipsa essentia; Consequentia vero falsa est; quia nec se, nec actiones aut apparitiones suas imagine vult exprimi, Deut. 4. 16. &c. In secundo falsum est Antecedens; non enim imagines manu factæ & mutæ, sed vivæ oblatæ sunt sanctis Dei viris, quas tamen nec pingi, nec fingi curarunt.

VIII. *Ut fabrica Idolorum, ita retentio quoque illorum in Scripturis damnatur.*

Deut. 7. 5. *Sic facitote eis, altaria eorum diruitote, & statuas eorum frangitote etiam, lucos eorum succidite, & sculptilia eorum cõburite igni*, Esa 30. 22. *Polluetis tectoriũ sculptiliũ argenti tui, & amictum fusilis ex auro tuo separabis ea, ut laborantem ex mensibus; apage, dices eorum cuiq;* 2 Cor. 6. 16. *Quæ consensio templi Dei cum Idolis?* Huc faciunt exempla Iosaphati, Ezechiæ, Iosiæ, &c. Adversarii è contrario sic argumentantur. Qui imagines in templis retinent, non cultus sed ornatus causâ, non sunt I. dololatræ. At qui nos &c. R. Falsa est Maior; 1. Quia licet imagines non colantur, cultus tamen periculum sub est. 2. Quia id ad ornatum Templi nihil facit, quod in Dei contumeliam facit: meretricius hic ornatus est, & pristinæ scortationis nota. Obiiciunt quoque, Serpentem æneum non prius fuisse confractum, quàm coleretur. R. Imparem esse rationem serpentis æni & idolorum; quia serpens æneus cultus religiosi causa non est erectus, sed ut Christi typus esset; tum vero demum in idolum conversus est, cum religiosè coli cœpit. Quod si serpentis æni retentio periculo non caruit, quanto minus citra periculum retinentur, quæ revera idola sunt & fuerunt?

IX. *Cultus Idolorum in adoratione & servitute consistit. Adoratio fit capitis apertione, corporis incurvatione, genuflexione, osculatione, & similibus gestibus. Servitus vero religiosa idolis exhibetur cum ornantur auro, argento & gemmis, cum incensa eis offeruntur, cum loco eminentiore collocantur, cum vota illis nuncupantur,*

cum

cum honorantur peregrinationibus, muneribus, cereis Lampadibus, altaribus, templis, festis et similibus ceremoniis religiosis.

Cultus hic gravissimè prohibetur hoc secundo mandato. *Ne incurvato te eis, neq; colito ea*, Item, Deut. 4. 15. 16, 17, Psal. 115. 2. &c. Habac. 2. 12. 1 Cor. 10. 14. 1 Ioan. 5. v. ult. Excipiunt hic Pontificii, I, citatis locis de Idolis Gentilium agi. II, se non imaginem. sed deum in imagine colere, ut habent Versus;

Nam Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipsa,
Hanc videas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Ad priorem exceptionem respondemus, 1, citatis locis imprimis hoc mandato, & Deut 4. Omnes imagines religionis causâ factas damnari. 2. Rationes propter quas Idola Gentilium abominanda sunt, in Imagines quoque in Papatu erectas competere; nam, & illæ ex auro, argento, ære ligno & lapide sunt, & nec videre possunt, nec audire, nec ambulare, *Apoc. 9, 20.* Ad posteriorem exceptionem dicimus, I, Revera Imagines in Papatu adorari, siquidem nulla pars est cultus religiosi, canone hoc *IX.* descripti, quem imaginibus suis non exhibeant. 2 Non excusari eos, qui se Deum in imagine colere prætendunt: quia istiusmodi cultum prohibuit, & non adorari vult nisi in Spiritu, Joan. 4. 23. Alioquin hac ratione Israelitæ quoque se excusare potuissent: non enim tam amentes erant, ut vitulum aureum, esse Deû crederent; sed Deum in vitulo, tanquâ symbolo colere volebant.

x *Idolorum cultui affinis est Adoratio hostiæ consecratæ.*

Æquè Idololatricum est fundamentum, quod huic cultui substernunt. præsentia nimirum Christi in pane Eucharistiæ, seu externis eius accidentibus, ob quam, panem deificatum seu Deum appellare non dubitant, juxta hymnum, *Non es panis, sed es Deus, homo liberator meus.*

xi *Eodem pertinet imaginis crucis adoratio.*

Sic

Sic enim eam alloquuntur in Antiphona, *O crux, ave spes unica, auge piis justitiam, reisq; dona veniam.*

XII. *Non minus horrenda est idololatria, quâ Imagunculæ, quas Agnos Dei vocant, in Papatu fabricantur et consecrantur, quibus eadem virtus tribuitur, quæ Dei Filio, in peccatis purgandis, fulguribus depellendis, &c.*

XIII. *Reliquiæ Sanctorum non solum magna cum idololatria, sed et summa cum impostura in Papatu honorantur; suppositititias enim illas esse, vel inde manifestum est, quia nullus Sanctorum est, cuius non monstrentur apud Papistas diversis in locis duo aut tria corpora.*

Videatur Calvini admonitio de Reliquiis.

Hæc hactenus de Idololatria. Adoratio Sanctorum, est cultus religiosus seu precatio ad Sanctos, Angelos, & defunctos directa.

CANONES.

I. *Duplex est adoratio, civilis seu socialis, et religiosa illa in externo et civili honore, hæc in religiosa invocatione consistit.*

II. *Sanctis præsentibus adorationem seu honorem civilem exhibere licet.*

Exempla, Genes. 18. & 19. 1. Reg. 18. 7. 2. Reg. 2. 15.

III. *Imo defuncti quoque et ex nostro conspectu in cœlum subducti, honorandi sunt: 1. Honorifice de illis sentiendo. 2. Virtutes illorum, tanquam Dei dona, prædicando. 3. Easdem imitando.*

Matth. 26. 13. *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto Mundo, etiam quod hæc fecit, dicetur ad memoriam ipsius.*

IV. Religi-

IV. *Religiosè verò nemo Angelorum aut Sanctorum defunctorum adorari seu invocari debet.*

Rationes sunt. I. Quia eius rei nec præceptum, nec exemplum, nec promissio in Scripturis reperitur. II. Quia invocatione Sanctis omniscientia, omnipotentia & similia tribuuntur, quæ soli us Dei sunt. III. Quia in Sanctos non est credendum. Iam vero *Quomodo invocabunt eum in quem non crediderint?* Roman. 10, 14. IV. Quia religiosè adorari noluerunt. Exemplo Petri, Act. 10. 25, 26. & Angeli, Apoc. 19, 10. et 22, 8. Objectiones Pontificiorum frivolæ sunt. Dictum Genes. 48. 16. non de creato, sed increato Angelo seu de Filio Dei intelligendum est Genes. 48. 16. *Vocari nomen Iacobi super filios*, est, à Iacobo denominari, et in numerum posterorum ejus recipi. Sicut Esaiæ 4. 1. Locus Iobi 5. 1. in Versione vulgata corrupte legitur. Nec ibi Eliphas Iobum hortatur, ut Sanctos demortuos invocet, sed ad Sanctorum viventium testimonium provocat. Malè quin etiam concludunt, Sanctos demortuos invocandos esse, quod ipsorum preces, dum in hac vita sunt, expetere jubeamur. Iac. 5. 14. Alia enim est Sanctorum in hac vita conditio, alia in futura; in hac vita norunt afflictiones nostras, in altera non item, Esa. 63 16. In hac vita non invocantur sed ad preces pro nobis fundendas invitantur. At à Pontificiis Sancti demortui religiosè invocantur et in auxilium vocantur. Fundamentum sententiæ Pontificiorum est, quod Sancti mediatores sint; nimirum intercessionis. Sed quàm falsum hoc sit, superioris libri cap. 18. ostensum est.

Sic quoque de ritu cultus religiosi à Deo prohibito actum est. Ritus à Deo quidem præceptus, sed in alienum finem directus est cultus superstitiosus & hypocriticus.

Cultus Dei superstitiosus est, cùm ritibus externis à Deo præceptis singularis quædam vis & efficacia, velut ex opere operato, asscribitur.

Ut

Ut cum certis verbis, vocibus aut ſcriptis, vis abigendi Satanam, ſanandi morbos, &c. tribuitur; cum Sacramentis per ſe vis ſervandi et à peccatis liberandi ineſſe fingitur; cum βαττολογία ſeu pluralitas verborum & ſimilia precibus pondus addere ſtatuuntur; cum cibus alius alio & dies alius alio ſanctior iudicatur, cum Votis eorumque perſolutioni ratio bene de Deo merendi aſcribitur.

Cultus hypocriticus eſt, cum externi quidem ritus à Deo præſcripti obſervantur, ſed ſine interno cultu animique devotione.

Vehementer Deo diſplicet, Pſalm. 50. 8. &c. Iſaiæ, 1, 10, &c. 29. 13. &c. & 66. 3. &c. Ierem. 4. 5. &c. Matth. 15. 8. &c.

CAPUT VI.

In quo

De Virtutibus & Operibus ad tertium Præceptum ſpectantibus.

TAntum de ritu Deum colendi. Sanctificatio Nominis eius in reliqua tota vita tertio præcipitur mandato.

Summa eius eſt, Etiam extra Dei ordinarium cultum ſanctificationi Nominis divini in omnibus ſtudendum eſſe.

Mandati duo ſunt membra, interdictum et confirmatio eius. Interdictum eſt, *Ne aſſumito nomen Dei tui in vanum.* Nomen Dei non tantum titulos ſignificat, qui Deo tribuuntur, ſed proprietates, verbum, opera et quæcunq; ad Nominis divini glorificationē pertinent. Ex hoc itaque interdicto colligitur præceptum. *Nomen Dei tui ſanctificato.* Confirmatio gravisſima comminatione conſtat, *Nam non relinquet impunem Iehova eum, qui Nomen eius aſſumſerit in vanum.*

Sanctifi-

Sanctificatio divini nominis in affectu consideratur, aut in effectu.

In affectu, est zelus pro Dei gloria, vehemens nimirum animi studium tuendi & propagandi Nominis Dei glorificationem cum iusto dolore & indignatione adversus ea, quæ contra Dei gloriam fiunt.

Exempla eius sunt in Lotho, 2. Petri. 2.8. in Mose, Exod. 32.19 in Pinehaso, Num. 25. 8. in Davide, Psalm. 69. et 119. 53. in Elia. 1, Reg. 19.10. in Ieremia, Ier. 33. 9, 10, 11. in Ioanne Baptista Matth. 14. 14. in Christo, Ioan. 2. 14. &c. in Paulo, Act. 14, 14. & 17, 16, 17.

Huic opponitur Stupor Dei gloriam non curans (a) zelus errans seu sine scientia, (b) zelus inconsideratus, (c) & zelus simulatus (d.)

(a) 1 Sam. 2, 29. *Honoràsti filios tuos supra me.* & cap. 3. 13. *Quia maledictionem inferentibus sibi filiis suis, non tamen repressit eos.* (b) Rom. 10. 2. *Testor enim de ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia.* (c) Ionæ, 4. 1. *Quod cum male haberet Ionam pessimè; & accensa esset ira eius, ora-vit Iehovam dicens. quæso Iehova, an non erat hoc verbum meum? &c.* Luc. 9. 54. *Cum autem hoc vidissent discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt, Domine, vis dicamus ut ignis descendat à cœlo & consumat eos, ut etiam Elias?* (d) Iesa. 7. 12. *Dixit Ahaz, non petam signum, neq: tentabo Iehovam.*

Sanctificatio nominis divini effectu seu actu ipso fit verbis & factis.

Sanctificatio verbis præstanda, est sancta Nominis divini usurpatio & constans confessio.

Sancta Nominis Dei usurpatio est quâ non nisi necessariis de causis, & summa cum reverentia, ac gloriæ in eo relucentis admiratione & celebratione usurpatur.

Deut.

Deut. 28.58. *Timendo Nomen gloriosissimum & summè reverendum istud, nempe Iehovam Deum tuum.*

Opponitur ei superstitiosa Nominis divini Reticentia, levis eius Assumptio, Facetiæ & Sales è Scripturis, & Blasphemia seu Probrum in Deum immediatè conjectum.

Exemplum horrendæ blasphemiæ est in Assyrio, Esa. 10. & Duce eius Rabsace, Esa. 37.

Sanctæ Nominis Dei usurpationis species cernuntur in consecrando, iurando & fortiendo.

Consecratio est, quâ res usibus nostris inservientes Verbo Dei ac precibus sanctificantur.

Sanctificare, hoc loco est, ad bonum et licitum usum segregare. Qua ratione consecrantur Templa, Ministri, Opera Vocationis, Cibus et Potus. 1. Tim. 4. 5. *6. Nam quicquid creavit Deus, bonum est: nec quicquam reiiciendum est, si cum gratiarum actione sumatur. Sanctificatur enim per verbum Dei & preces.*

Opponitur Consecrationi huic præter eius intermissionem, Consecratio superstitiosa, quâ certis formulis verborum, singularis vis & efficacia inesse creditur; & magicæ Consecrationes ac incantationes.

Intermittunt hanc consecrationem, qui cibo, potu &c. citra preces et gratiarum actionem utuntur. Superstitiosæ consecrationis exempla quam plurima sunt apud Pontificios, in consecratione aquæ, salis, ceræ, &c. Magicæ consecrationes et incantationes non excusantur verborum bonitate; nisi enim bonis bene utantur, abominandus est Verbi Dei abusus.

Jurando Sanctificatur nomen Dei, tum Jureiurando, tum adiuratione.

Juramentum est contestatio Dei, in re gravi, tanquam veritatis testis et mendacii vindicis.

CAN-

CANONES.

I. *Fusjurandum res est per se bona & sancta.*

Ratio. 1, Data à Deo præceptum, Deuter. 6. 13. et 10, 20, Isa. 65, 16. Ier. 12. 16. 11. Quia Deus quoqueet Angeli iurant, Genes. 22. Psalm. 95, Hebr. 3 et 6. Apocal. 10, &c. Huc facit illud Tertulliani, *O beatos quorum causâ jurat Deus! O miserrimos, si ne quidem Deo iuranti credimus.*

II. *Persona juramentum Præstans, talis esse debet, quam juris jurandi reverentia non excludat. Non admittendi igitur,* 1. *Qui rationis usum nondum sunt assequuti.* 2. *Furiosi.* 3. *Perjurii convicti.*

III. *Materia juramenti esse debet res gravis, magni momenti, & licita.*

IV. *Forma ejus vel explicata est contestatione & imprecatione, vel contracta, & alterutra parte constans.*

V. *Finis juramenti, est confirmatio veritatis, decisio litium, & gloriæ dei illustratio ac hominum salus.*

Heb. 9. 16.

VI. *Objectum iuramenti, per quod iurandum, solus Deus est.*

Ità præcipitur Deut. 6. 13. *Iehovam Deum tuum timeto, & illum colito, & per Nomen eius iurato.* Rationesquoq; sunt, 1. Quia solus Deus καρδιογνώστης est, qui omnia videat, solus omnipotens, qui perjurium ulciscatur. 11. Quia iuramentum cum invocatione coniunctum est, quæ soli Deo debetur, ut supraostensum.

VII. *Cum creaturarum in iuramento à Sanctis fit mentio, per metonymiam, aut Deus ipse, aut eius vindicta intelligitur, quam sibi homo imprecatur.*

Sic

Sic Gen. 31. 32. *Jacob iuravit per pavorem Patris sui* h. e. per Deum, quem pavebat Isaacus. Sic Apostolus, 2. Cor. 1. 23. *Ego vero testem Deum invoco in animam meam.* h. e. ut puniat me, si scienter fallam.

VIII. *Adiunctorum ratione iuramentum in publicum seu solenne & à Magistratu requisitum, & privatum seu sponte, non temere tamen, oblatum; in assertorium item & promissorium distinguitur.*

IX. *Servanda sunt iuramenta etiam vi extorta, & nobis damnosa.*

Psalm. 15. 4. *Iuratus in damnum suum, non tamen mutat.* Quæritur autem hic, An iuramentum latroni factum, quo quis se redemturum pacisci tur, sit servandum? Resp. Promissio illa aut de λύτρα tantum est, aut de re tota silentio tegenda. Prius promissionis genus hominem obligat: posterius non item, cum prius et arctius obstrictus sit Magistratui, cuius prædones arcere interest. Proinde qui exitii metu adactus, prædoni se hac ratione obstrinxit, re ad Magistratum delata, fidei illius nexu, autoritate publica, exsolvi poterit.

X. *Juramento affinis est gravis asseveratio.*

Tales asseverationes sunt, Gen. 41. 15. *Ità vivat Pharao*, hoc est quàm vere vivit Pharao, eûmque vivere cupio. et 1 Sam. 1, 26. *Vivit anima tua, Domine mi, sum mulier illa.* Huc pertinet asseveratio à Christo usurpata, *Amen, amen.*

* Juramento opponitur in defectu, eius improbatio: aut legitime delati detrectatio.

Priore modo peccant Anabaptistæ, prætendentes Christi dictum, Mat. 5. 14. *Ne iuretis omnino*, et illud Iacobi parallelum, Iac. 4, 12. Sed non animadvertunt, utrobiq; non iuramentum legitimum, sed temeraria tantum et idololatrica iuramenta prohiberi. Posteriore modo peccant, qui cum *juramento Dei* gloriam aut proximi salutem promovere possent, id tamen facere non sustinent.

In

In excessu opponitur iuramento, 1, Periurium. 2. Iuramentum temerarium. 3. Iniustum. 4. Idololatricum.

Periurium est cum aut scienter falsum afferitur, aut promissio fit absque servandi proposito, aut cum proposito servandi facta, non impletur.

Fugiendum est, 1. Propter gravitatem peccati. Peccat enim periurus in Deum, quem rei falsæ testem advocat, cuius sanctissimum Nomen profanat: peccat in proximum, quem perjurio circumvenit, et gravissime scandalizat: peccat in seipsum, dira quæq; sibi imprecatus, II. Propter gravitatem pœnæ, periuria enim non inulta manent. Exempla sunt in Regibus Sodom, &c. Gen. 14. 4. in Hosea Rege Israelis, 2. Reg. 17. 4. in Zedekia, 2. Reg. 25. 3. &c. in Rudolpho Bavariæ Duce, in Ladislao Ungariæ Rege, et aliis quam plurimis. Detestabile quoque fuit apud Ethnicos, Unde Tibullus

Ah miser, etsi quis primo periuria celet.
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Perjuriis aut æquivalent Sophisticæ & Iesuiticæ illorum interpretationes, quibus tamen à periurii labe & pœna se non vindicabunt.

Iuramentum temerarium est, quod citra necessitatem usurpatur.

Exemplum eiusmodi remerarii & assidui juratoris est Saul, 1. Sam. 14. vers. 40. & 45.

Iuramentum iniustum est, quod fit de re illicita aut inhonesta.

Tale fuit iuramentum Davidis, quo minatus est domui Nabalis exitium, cuius revocatione docuit, iuramenta illegitima potius rescindenda quam servanda esse, 1 Sam. 25. Talia quoq; sunt iuramenta Monachorum, fidelitatis, obedientiæ, &c. in Papatu.

Iuramentum idololatricum est, cum per falsos Deos aut per creaturas iuratur.

Huc

Huc non ſolum pertinent iuramenta facta per cœlum, terram, &c. quæ prohibentur, Matth. 5. 4. ſed & iuramenta facta per Sanctos; ut enim illis invocationis honor ſine idololatria deferri nequit, ita neque honor iuramenti. Nec enim Papani metony micè per Sanctos Deum intelligunt, ſed per ipſos Sanctos iurant.

Tantum de Jureiurando. Adiuratio eſt obteſtatio ſub Dei nomine, imperio aut precibus facta ut ſecundum conſcientiam, aut, quaſi iuramenti loco, veritas dicatur.

Exemplum Ioſ. 7. 19. *Tum dxit Ioſua ad Achanem, Fili mi, nunc tribue gloriam Iehovæ Deo Iſraelis, & ede ei confeſſionem.*

CANON.

Adiurationi obtemperandum eſt in iis, quæ Dei gloriæ et proximi dilectioni non adverſantur.

Exemplum in Chriſto, qui ad Pontificis, quantumvis impii, adiurationem, ſe Filium Dei profeſſus eſt, Mat. 26. 24. Quod ſi igitur Tyrannus nos adiuraret, ut fratres noſtros, aut ipſorum conventus proderemus, minimè id faciendum foret.

Opponitur ei Adiuratio temeraria, Adiuratio Diabolorum magica et Imprecatio impiâ, quâ Deus aut eius creaturæ in hominis exitium adiurantur.

Adiuratio Diabolorum (quam *exorciſmum* nominant) magica eſt, minimè; reſpondet factis Apoſtolorum, qui non adiurando, ſed in nomine Chriſti imperando, dæmonia ejecerunt.

Sors ſeu ſortilegium eſt exploratio eius, quod cuique à Deo deſtinatum in diviſionibus, ob componendas lites, externis ſignis facta.

Sortes

Sortes divinæ sunt, aut humanæ, illarum exempla sunt, Levit. 16. Ios. 7. 1. Sam. 10. Nehem. 10. Joan. 1. Act. 1. Atq; hæ non imitandæ sunt, quod mandato destituamur. Hæ vero (divisoriæ dictæ) usurpari possunt, sic tamen, ut persuasum habeamus, eas divinitus regi, Prov. 16. 2.

Huic opponuntur superstitiosæ electiones ac consultationes & sortitio fraudulenta.

Hactenus de nominis Dei usurpatione: Professio eius est, cum veritatem ex Dei Verbo agnitam quoties opus est, ad eius gloriam, liberè & apertè coram hominibus confitemur.

Matth. 10. 32. *Quisquis confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis*, Rom. 10. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, 1 Pet. 3. 15. *Estote semper parati ad respondendum cuilibet, petenti rationem eius spei, quæ in vobis est.*

Opponitur ei, 1. Veritatis dissimulatio. 2. Aperta eius abnegatio. 3. Intempestiva eiusdem confessio.

Dissimulationis exemplum est in Iudæis, Christum propter excõmunicationis metum non profitentibus, Ioan. 12. 34. Abnegationis ex infirmitate tamen factæ, adeóq; non plenariæ, exemplum Petrus, Mat. 26. 69. &c. De intempestiva confessione Christus monet, Mat. 7. 6. *Ne date*, inquit, *sanctum canibus; nec proiiciatis margaritas vestras coram porcis, ne quando conculcent eas pedibus, & conversi lacerent vos.*

Sic ostensum quomodo Nomen Dei sanctificetur verbis. Facto ipso sanctificatur, cum vita & actiones sanctæ nostræ professioni respondeant.

Matth. 5. 16. *Ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.*

Opponitur ei actionis congruentis professioni nostræ Intermissio & Impietas.

Prioris

Prioris exemplum est in Mose & Aarone, qui Deum, cum aquas contentionis ex petra daret, coram oculis filiorum Israelis, non sanctificasse dicuntur. Numer. 20. 12. Posterioris exemplum est in Iudæis, de quibus Paulus ait, Rom. 2. 24. *Nam Dei nomen propter vos blasphematur inter Gentes.*

CAPUT VII.

In quo

De operibus ad quartum Præceptum pertinentibus.

HUcusque de partibus cultûs Dei actum est; sequitur nunc tempus peculiariter cultui divino destinatum.

De hoc agitur Præcepto quarto, cuius summa est, Ut Sabbati diem sanctificemus.

Mandati duo sunt membra, præceptum, eiusque confirmatio. Præceptum est, Ut Sabbatum sanctificemus. Quod illustratur, I. Particula hortatoriâ, *Recordare diei Sabbati*, quæ argumento est, prius quoq; Israelitas de eius sanctificatione monitos fuisse, eius vero contemtum ac neglectum, Israelitis sub Pharaone pressis, invaluisse. II. Declaratione præcepti, quæ fit ἀνθέσει operum sex diebus faciendorum, & die septimo omittendorum. III. Subiectorum distributione; sunt enim vel homines, vel jumenta. Homines aut domestici sunt aut peregrini; utrique superiores, aut inferiores. Sex (inquit) *diebus operaberis & facies omne opus tuum. Die vero septimo Sabbatum est Iehovæ Deo tuo, ne facito ullum opus, tu, aut filius tuus, servus tuus, aut ancilla tua, aut jumentum tuum, aut peregrinus tuus, qui est intra portas tuas.* Confirmatio nititur exemplo Dei. *Nam sex diebus perfecit Iehova cœlum ipsum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis, quievit vero die illo septimo: idcirco benedixit Iehova diei Sabbati, & sanctificavit illum.*

Sanctificatio Sabbati est, quâ à laboribus & operibus externis cessatur, ut homo unà cum familia & iumento suo reficiatur, dieſque ille cultui divino impendatur.

CANO-

CANONES.

I. *Præceptum de Sabbati sanctificatione non primum in monte Sinai, sed iam in creationis primordio sanctitum docet, primo homini, quantumvis integro, cultus divini rationem præscriptam fuisse.*

II. Sanctificare Sabbatum, *non est diem illum sanctum facere, sed à profano usu segregare, et cultui divino destinare.*

III. *Causæ ad sanctificationem hanc impellentes sunt,* 1. *Præceptum Dei.* 2. *Æquitas præcepti.* 3. *Promissiones obedientibus factæ.*

Præceptum, præter quartum hoc mandatum exstat Lev. 19. 3. & 23. 1. Ier. 17. 22. & aliis locis. Æquitas duobus patet, *I.* Quia Deus ex septem diebus unum tantum cultui solenni destinat. *II.* Quia suopte prælucet exemplo, Promissiones sunt Esa. 56. 2. &c. et 58. 13.

IV. *Materia seu obiectum huius sanctificationis est dies Sabbati, seu septimus, in Ecclesia Iudaica: cui successit dies primus, à Resurrectione Christi, Dies Dominicus, à S. Eucharistiæ usu, Dies Panis, & à Baptismi administratione olim Dies Lucis dictus.*

V. *In præcepto de Sabbati sanctificatione discernendum est inter τὸ ἠθικὸν et τὸ τυπικὸν, seu inter id quod morale aut ceremoniale est.*

Ceremoniale fuit. I. Quod dies septimus præcise sanctificandus erat. II. Quod hac ratione Iudæi à Gentibus discerni debebant. *Morale* vero est quod aliquis ex septem diebus Dei cultui sit destinandus. *Diem* autem primum sanctificat Ecclesia, exemplo Christi, qui eum sanctificavit resurrectione suâ, & apparitione, Ioan. 20. 19. & 26. Exemplo item Ecclesiæ Apostolicæ, Actor. 20. 7. 1 Cor. 16. 2. Apocal. 1. 10.

Cerimo-

VI. *Forma ſanctificationis huius diei in omiſſione & actione conſiſtit.*

VII. *Omittenda ſunt opera externæ ac temporalis vocationis.*

Hæc operibus cultus divini opponuntur, dum inquit, *Sex diebus facies omne opus tuum.*

VIII. *Conceſſa tamen ſunt, quæ citra ingens damnum in alium diem rejici nequeunt.*

Luc. 24. 5. *Quis veſtrum, ſi ipſi aſinus aut bos in puteum incidat, non ſtatim extrahet eum die Sabbati;* Agnoverunt hoc olim Maccabæi, Maccab. 2. 41. Clade enim Sabbato acceptâ conſtituerunt ſe contra hoſtem defendere. In tali caſu neceſſitatis valet Chriſti regula, *Sabbatum propter hominem factum eſſe, non hominem propter Sabbatum,* Marci. 2. 18.

IX. *Facienda ſunt Sabbato opera, quibus dies ille deſtinatus eſt: quod genus ſunt, Sacros cœtus frequentare, Verbum dei meditari, Sacramenta participare mutuis hortationibus & exemplis ſeſe invicem ad pietatem invitare, ægrotos invisere, egenis benefacere, &c.*

X. *Finis ſanctificationis huius, naturalis aut ſpiritualis eſt.*

XI. *Naturalis eſt, ut homines & jumenta requie reficiantur.*

XII. *Spiritualis finis Judæis proprius erat:* 1. *Ut ipſis quies illa, poſt labores in Ægypto & moleſtias in deſerto, in terra Canaan conceſſa, adumbraretur.* 2. *Ut hac pædagogiæ parte ad Chriſtum ſpiritualis quietis à peccato & operibus carnis autorem, deducerentur.*

XIII. *Hodie vero finis ejus ſpiritualis eſt,* 1. *Ut Eccleſiæ cœtus ſit aſſpectabilis, & fideles*

seſe ad eam, volut Noa hi arcam, aggregent. 2. Vt consideratione natalis huius Mundi & Resurrectionis Christi, Deum Creatorem & Redemtorem nostrum celebremus. 3. Vt quiete ab operibus, de quiete à peccatis nostris admoneamur. 4. Vt ad perpetuum futuræ vitæ Sabbatiſmum magis magiſque aſpiremus & aſſurgamus.

Triplex hic Sabbatum ſtatuitur: typicum & ceremoniale, adeoque temporarium tantum: ſpirituale, ſed tantum inchoatum; cœleſte & æternum.

XIV. *Sabbati ſanctificatio cum omnibus, tum maxime Magiſtratibus & Paſtoribus incumbit.*

Magiſtratus eſt exemplo Nehemiæ, cavere ne Sabbatum petulanter violetur, Neh. 13. 15, &c. Eiuſdem eſt neceſſitate ita poſtulante ſtrictam diei illius obſervationem ità moderari, ut charitatis quoque habeatur ratio. Exemplo Maccabæorum, Maccab. 24. 1. & Conſtantini M. qui ſicubi ſumma poſtulavit neceſſitas, etiam ruſticæ operæ indulſit.

XV. *Sabbato affinia ſunt, Chriſtianorum feſta, non ad ἐθελοθρησκείαν, ſed ad beneficiorum Chriſti commemorationem inſtituta, modo conſcientiis abſolutæ neceſſitatis laqueus non injiciatur.*

Coloſ. 2. 16. *Ne quis igitur vos dánet, ob cibum vel potum aut reſpectu diei feſti, aut novilunii, aut Sabbatorum.*

Sanctificationi Sabbati ejus tum neglectus, tum profanatio opponitur.

Neglectus Sabbati aut ſimpliciter committitur, cùm nulla ejus habetur ratio; aut ſecundum quid, cum vel ſola ceſſatione ab operibus noſtris adeóq; ignavo otio tranſmittitur, omiſſis iis operibus, quibus Sabbatum deſtinatum eſt, de quibus Can. 7. vel opera illa perfunctoriè tantum & ſine

sine interna animi devotione peraguntur, quale Sabbatum merito hypocriticum dicitur.

Vide Esa. 1. 4.

Profanatio Sabbati fit, 1. Operibus externæ vocationis citra necessitatem susceptis, velut itineribus, debitorum exactionibus, &c. 2. Operibus carnalibus, cum dies Sabbati fabulis, lusu, comœdiis, choreis, comessationibus, & id genus aliis peccatis transigitur. 3. Operibus idololatricis.

Istiusmodi profanatio grevissimum peccatum est. Exod. 31. 13, 14. Num. 15. 35. Nehem. 13. 16. Jerem. 17. 27.

CAPUT VIII.

In quo
De Virtutibus ad Præcepta secundæ Tabulæ in genere pertinentibus.

SUperioribus capitibus actum est de cultu Dei immediato: nunc mediatus sequitur, in virtutibus & operibus secundæ Tabulæ.

De hoc cultu agendum generatim & speciatim.

Generatim ad cultum Dei mediatum & secundam Tabulam pertinet Charitas & Justitia.

Charitas erga homines, est tum hominis erga seipsum, tum ejusdem erga proximum.

Charitas hominis erga seipsum est, quâ post Deum ùnusquisque fidelium seipsum diligit, suámque temporalem & æternam salutem quærit.

Matth. 7. 12 *Quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, & vos facite,* Eph. 5. 29. *Nemo suam ipsius carnem unquam odio habuit, imo enutrit ac fovet eam.* Phil. 2. 12. *Cum timore ac tremore vestram ipsorum salutem conficite.*

Opponitur ei tum odium sui ipsius perversum, tum φιλαυτία seu inordinatus amor sui ipsius.

Odii perversi exempla in illis videmus, qui obstinate Deo rebellant, & in exitium ruunt. φιλαυτίας verovitium in iis deprehenditur, qui nimio sui amore inebriati, proximum non solum juxta se contemnunt sed se quoque supra Deum amant. De his inquit Christus. Ioan. 12. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam.* E contrario de piis Apocal. 12. 11. dicitur. *Non dilexerunt animam suam usque ad mortem.*

Charitas erga proximum est, q uâ proximum ut nos ipsos diligimus.

CANONES.

I. *Causa efficiens charitatis hujus, est Deus Pater in Filio per Spiritum sanctum.*

Gal. 5. 22. *Fructus autem Spiritus est charitas.*

II. *Instrumentalis ejus causa, imo radix, est Fides per charitatem efficax.*

Gal. 5. 6.

III. *Materia seu objectum ejus, est proximus noster, h. e. quilibet, cui vel officium, vel auxilium exhibere debemus.*

Luk. 10. 36, 37.

IV. *Maximè tamen exercenda est erga domesticos fidei, Gal. 6. 10.*

His enim non tantum communi & naturali charitatis vinculo, sed & spirituali devincti sumus. Ephes. 4. 1, 2.

V. *Neque hac in parte excludendi inimici.*

Hæc enim charitas cumprimis nobis commendatur, Exod. 22. 4, 5. *Si videris asinum aut bovem inimici tui errantem, &c.* Prov. 25. 21, 22. *Si esuriat ossor tuus cibo eum pane, &c.* confer Roman. 12. 14, 20. Matth.

Matth. 5. 44. & Adeandem incitare nos debet exemplum Patris cœlestis benefacientis bonis & malis, Mac. 5. 48 tradentis Filium pro nobis inimicis, Ro. 5. 4.

VI. *Forma charitatis in proximum, consistit in eius analogia cum charitate erga nos ipsos.*

Lev. 19. 18. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*

VII. *Finis eius, est testificatio nostræ erga Deum charitatis et certitudo regenerationis ac salutis nostræ.*

1 Ioan. 4. 20. *Si quis dixerit, diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est, qui enim non diligit fratrem suum, quem vidit, Deum, quem non vidit, quomodo diliget?* 1 Ioan. 4. 7 *Qui quis diligit, ex deo natus est,* & v. 12. *Si diligamus alii alios, Deus in nobis habitat.*

Opponitur Charitati, 1. Charitatis defectus, & neglectus. 2. Charitas hypocritica. 3. Odium proximi injustum. 4. Charitas inordinata, quâ homo plus diligitur quam par est.

De primo vitio Paulus inquit, 1 Cor. 13. 1. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æs resonans aut cymbalum tinniens.* De secundo, Iac. c. 2. 15. 16. *Quod si frater aut soror nudi fuerint, & egentes quotidiano victu, dicat autem eis aliquis vestrum, Abite cum pace & saturamini; non tamen dederitis eis quæ apta sunt corpori, quæ erit utilitas.* De tertio Ioan. 1. Epist. c. 3. 13. *Qui quis odit fratrem suum, homicida est.* De quarto, Deus ipse, 1. Sam. 2. 30. *Honorasti filios tuos supra me.* Et Christus, Matth. 10. 37. *Qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus.* Sciendum autem hic, duplex odium erga homines probari; prius est cum hostes Dei, quatenus tales sunt, odio habemus. Ps. 139. 21. *An non osores tuos, Iehova, odio habeo?* Posterius est, cum odio prosequimur, quæ nos à Christo aut constanti eius confessione abstrahunt, quatenus talia sunt. Luc. 14. 26. *Si quis ad me venit & non odit patrem, matrem, uxorem,* &c.

Charitas absolutè consideratur, aut reciproce.

Absolutè consideratæ tres species sunt, Humanitas, Benevolentia, & misericordia.

Humanitas est, quâ ad dilectionem nostram quibusvis hortando, monendo, consolando, iuvando, &c. testificandam propendemus.

Vocatur σπουδὴ ὑπὲρ ἄλλων 2 Cor. 8. Appellatur quinetiam *officiositas*, & quatenus peregrinis aut advenis exhibetur, *hospitalitas*, quæ nobis commendatur Esaiæ 16. 3, 4. Rom. 16. 2, 3. Tert. Epist. Ioannis vers. 8. Heb. 13. 2.

Opponitur ei tum inhumanitas, quâ aut humanitatis opera intermittuntur, aut crudelitas exercetur: tum intempestiva humanitas cum humanitatis officia aut iis præstantur qui indigni sunt, aut non eo modo, quo præstari debebant.

Inhumanitatis foret, si quis cœco offendiculum poneret, aut surdo maledicceret. Inhumanitatis exempla sunt in Edomitis & similibus Gentibus, Iudæis afflictis afflictionem adjicientibus, Amosi 1. & 2. In Levita quinetiam & Sacerdote, semi mortuum deferentibus. Intempestivæ humanitatis est pro quovis temere spondere Prov. 6. 1. & 11. 15. aut quibusvis, eleemosyriam erogare, non habitâ ratione dignitatis, 2 Thessal. 3. 10.

Benevolentia seu favor est, quo in proximi bonum & commodum sic inclinamus, ut prosperitatem ei ex animo precemur et gratulemur.

Esa. 66. 10. *Lætamini cum urbe Hierosolyma, &c.* Rom. 12. 15. *Gaudete cum gaudentibus.* Exempla in beatis Angelis, Luc. 3. 10. & 15. 10. in Paulo, Rom. 1. 8. & pluribus locis: in Ioanne 2. Ioan. 4. & 3. Ioan. 3. 4, 5.

Opponitur ei Invidia, seu Ægritudo ob alterius bonum; Malevolentia item quâ quis alterius perniciem optat: et simulata Benevolentia.

In

Invidiæ quatuor gradus sunt I. Cum quis ferre nequit ut alius eodem secum bono fruatur. Exempla in primis operariis, Matth. 20. 11. &c. & Act. 13. 4, 5. in Iudæis Gentibus salutem invidentibus. II. Cum quis alteri id invidet, quod ipse impetrare non potest. Exemplum in Satana, in Caino, Genes. 4, in Elavo, Gen. 27. in fratribus Iosephi, Actor. 9. 7. in Maria sorore Mosis, Num. 12. in Saule, 1. Sam. 18. 7. 8. in Proceribus Regni Persarū. Dan. 6. in Pompeio & Cæsare, de quibus Lucanus,

—Nec iam ferre potest,
Cæsarve priorem,
Pompeiusve parem,—

III. Cum quis molestè fert alium eo bono ornari, quo is, quem diligit. Exemplum in Iosua, invidente Eldad & Medad, quod æque ac Mosis prophetarent, Numb. 11. indiscipulis Ioannis, Ioan. 3. 26. & Christi, Marci. 9. 38. IV. Cum quis alteri invidet aut eius odio destruit id quod ipse frui non cupit. Exemplum in Philistæis puteos, quos foderant servi Abrahami, occludentibus, Genes. 26. Simile, à cane, fœnum non comedente, animalia vero, quæ eo vescuntur, latratu suo arcente; & à Stellione, cutem, quam quotannis exuit devorante, ne serviat homini comitiali morbo laboranti. Virandum est invidiæ vitium: I. Quia graviter prohibetur. Psal. 37. 1. Prov. 3. 31. II. Quia conjuncta est cum fastidio bonitatis Dei, Matth. 20. 15. *An oculus tuus malus, quia ego bonus?* III. Quia impellit ad nefaria delicta, Homicidia, Genes. 4. 2 Sam. 3. vers. 20. Seditiones. Num. 12. Hæreses Vitam quietam reddit inquietam, Iac. 3. 16. Malevolentiæ, invidiæ & simulati favoris exemplum est in Pharisæis Christum invitantibus, Luc. 14. 1. &c.

Misericordia est, quâ nobis sic cordi est aliorum miseria, ut eam lenire aut tollere omnibus modis studeamus.

Matth. 5. 7. *Beati misericordes. &c.* Luc. 6. *Estote misericordes*, Roman. 12. 15 *Flete eum flentibus.* 1. Thess. 5 4. *Sublevate infirmos.* Species eius morantur, Matth. 25. 35. &c. Exempla in Iobo, *Iob.* 30. 25. in Davide. Psalm. 40. &c. in Ionathane, 1. *Sam.* 20. in Samaritano, *Lucæ.* 10.

Opponitur ei immisericordia, qua quis afflicti aut non miseretur, aut afflictionem ei addit: Ἐπιχαιρεκακία, quâ quis alienis malis lætatur: Misericordia item simulata & illicita.

Immisericordia prohibetur, Proverb. 3. 27. 28. Meretur damnationem absque misericordia, Iac. 2 13. Ἐπιχαιρεκακίας exempla sunt in Doego, Psalm. 52. in Edomæis, Psalm. 137. in hostibus Christi, Matth. 27. Gravissime prohibetur, Proverb. 24. 17. Simulata misericordia cernitur in hostibus Davidis, Psam. 41. 7. Misericordia Crocodili appellatur, qui devoraturus hominem lacrymas fundit. Illicita misericordia damnatur Ierem. 15. 16

Charitatis absolute consideratæ species fuerunt. Reciprocè consideratæ species sunt Charitas fraterna & Amicitia.

Charitas fraterna est, quæ ultro citroque intercedit membris Christi, seu domesticis fidei.

Hæc eo se extendit, ut pro fratribus animam ponere debeamus; 1, Ioan. 3. 16, Exemplum in Ionathane, in Maccabæis, in Paulo, &c. Hæcque etiam erga mortuos exercenda est. luctu, sepultura &c.

Amicitia est charitas duobus pluribusve intercedens, quâ mutuâ, verâ, & singulari benevolentiâ se complectuntur ad præstanda officia honesta & possibilia.

Canones.

1. *Omnibus nos humanos, benevolos et misericordes, sed non omnibus nos amicos præbere tenemur.*

Ratio

Ratio est, quia amicitia in reciproca & mutua benevolentia consistit, singulari vinculo nitens, quod adeo arctum est, ut secretissima quæque in amici sinum effundere liceat: jam vero non omnibus tuto confiditur, unde & sapienter ambulare iubemur, Zachar. 7. 5. *Nemo fidat proximo suo*, Ephes. 5. 15. *Videte igitur quomodo accurate incedatis, non ut insipientes, sed ut sapientes, redimentes occasionem, quoniam dies mali sunt.*

11. *Amicitia vera ex fine judicatur, nempe pietatis et honestatis causa colatur.*

Aristot. docet 8. Ethic. Amicitiam jucunditatis, utilitatis, & virtutis seu honestat's causa coli, atque ex tribus his finibus postremum probat. *Vulgus amicitias utilitate probat*, inquit Poeta. Verum piis potissimum honestatis habenda est ratio.

Amicitiæ opponitur Amicitia simulata: item Amicitia, Fœdera, ac nimia conversatio cum improbis seu infidelibus.

Amicitiæ simulatæ ac falsæ exemplum est in hostibus Davidis, Psalm. 41. 7. & 55. 13, 14. & in *Iuda* proditore. *De* fœderibus cum impiis sciendum, illa pacis esse, aut belli Fœdus paciscest, quod initur tranquilitatis publicæ ultro citroque servandæ causa. Quale fuit fœdus *Abrahami* cum Hamor & Etcol. Genes. 14. 13. & cum Abimeleco, Genes. 21. 27. *Isaacii* cum eodem Gen. 26. 20. Solomonis cum Hirame, 1 Reg. 5. 2. Fœdera belli sunt, quæ defensionis aut offensionis causa panguntur. Hæcque aut cum fidelibus, aut cum infidelibus feriuntur. *Illa* concessa sunt, sic tamen, ut iis non nitamur, sed utamur: hæc vero gravissime à *Deo* prohibentur. Exod. 34. 12. *Cave tibi, ne pangas fœdus cum habitatore terræ illius.* 2 Cor. 6, 14. *Ne copulemini impari jugo cum impiis.* Infelix talium fœderum eventus cernitur in Iosaphato, 2. Chron. 19. 20. in *Asa*, 1, Reg. 15. & 2. Chron. 16. in Abaso, Esa. 7. 8. & 9. in populo Iudaico *Ezech.* 16, 27, 28. Conversatio cum infidelibus & impiis licita est, si conjuncta sit cum spe emendationis ipsorum & cum prudentia, ne ipsorum familiaritate corrumpamur.

Hæc

Hæc de Charitate. Justitia est virtus, quâ cuiq; suum tribuimus.

Justitia nomen ambiguum est; quandoque enim totius Legis observationem denotat: quandoque ad secundam tabulam refertur, quatenus ea exercetur erga proximum.

Estque distributiva, aut commutativa.

Distributiva est, quæ versatur in distributione bonorum, præmiorum, pœnarum, et similium, observatâ proportione Geometricâ, pro personarum conditione, meritis aut dignitate.

Commutatia est, qua cuique suum proportione Arithmetica, pro rerum æqualitate aut inæqualitatè, tribuitur.

Justitiæ opponitur injustitia tām privativè, quàm adversativè.

Vitanda autem est, quia excludit hominem è regno cœlorum. 1 Corinth. 6.9

CAPUT IX.

In quo

De Virtutibus & Operibus ac quintum Præceptum pertinentibus.

CUltus Dei mediati, de quo hactenus generatim actum, tum partes tum gradus spectari debent.

Partes eius duæ sunt: prior de officio superiorum erga inferiores et contrà: posterior de officio quorumlibet erga quoslibet.

Officium inferiorum erga superiores et contrà, quinio præcipitur mandato, cujus summa est, Ut superioribus et inferioribus ordo Deo placens intercedat.

Man-

Mandatum hoc præcepto & promissione constat: præceptum est, *Honora patrem tuum & matrem tuam.* In quo *parentum* nomine, synecdochice omnes superiores intelliguntur: sicut & *honoris* vocabulum, quæ honori affinia sunt complectitur. Promissio est, *Ut diu vivas in terra, quam tibi Dominus Deus tuus daturus est.* In hac autem promissione voluntatis divinæ & salutis nostræ conditio subintelligenda est; sæpe enim Deus piis bujus vitæ brevitatem, alterius felicitate compensat.

Personæ, in hoc præcepto considerandæ, sunt, in Statu Politico, Magistratus et Subditi: in Statu Ecclesiastico Pastores et Auditores: in Statu Oeconomico, Parentes et Liberi, Maritus et Uxor, Heri et Servi. Quibus ἀναλόγως accensentur Præceptores et Discipuli, Tutores et Pupilli, senectute aliisque donis præstantiores et inferiores.

Virtutes inferiorum erga superiores sunt, Reverentia, Obedientia et Gratitudo.

Reverentia est, qua superiores debito honore prosequimur, de illis honestè sentiendo, reverenter eos alloquendo, infirmitates eorum tolerando, et sermonis, sedis, actionumque primatum eis tribuendo.

Exhibenda est hæc reverentia Magistratui, Ro. 13 7. *Cui timorē, timorē, cui honorem, honorem.* Ministris, Matth. 10. 40. *Qui vos recipit, me recipit; & qui me recipit, recipit eum, qui misit me.* Parentibus, Levit. 19. 3. *Quisq; patrem suum & matrem suam timeat,* vide Prov. 23. 22. Ephes. 6. 1. Marito, Ephes. 5. 33. *Uxor videat, ut reveretur virum.* Heris, 1. Tim. 6. 1. *Quicunq; sub jugo sunt servi, suos dominos omni honore dignos ducunto.* Senioribus, Levit. 19. 32. *Coram canis assurgito, & honorem habeto faciei senis, &c.* Eadem est eorum ratio, qui insignioribus donis à Deo ornati sunt, qui ethicè seniores dicuntur, non tam annorū, quàm donorū respectu

Reve-

Reverentiæ opponitur Irreverentia & deſpectus Superiorum.

Exempla Irreverentiæ In Subditis, 1. Sam. 10. 27. *Homines nequam dicebant*, (de Saule) *quid ſervabit nos iſte*, *contemnentes eum*: In Auditoribus, Ier. 43. 2. *Falſum loqueris*, (dicebant Judæi) *non miſit te Iehova Deus tuus*. In Liberis, Genel. 9. 22. *Reſpiciens vero Cham pater Chanaanis*, *nuditatem patris ſui*, *indicavit duobus fratribus ſuis foris*. In uxore, Iobi, 2, 9. *Tum dicebat ei Uxor ejus*, *adhuc tu retines integritatem tuam*, *benedicendo Deo ac mori*. endo? In Servis, Genel. 16. 4. *Cum vidiſſet Hagar ſe concepiſſe*, *levis habita eſt hera in oculis ejus*.

Obedientia ſeu ſubjectio eſt, qua ſuperioribus in rebus honeſtis & licitis obedimus, tanquam Domino: & admonitiones, caſtigationes ac correctiones illorum patienter ferimus.

Obedientia præſtanda eſt Magiſtratui, Rom. 13. 1. *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto &c.* Miniſtris, Hebr. 13. *Obedite ducibus veſtris & obſecundate: vigilant enim pro animabus veſtris.* Parentibus, Epheſ. 6, 1. *Liberi auſcultate parentibus veſtris in Domino.* Maritis, Eph. 5. 22. *Uxores propriis Viris ſubjectæ eſtote ut Domino*, Heris Eph. 6. 5. *Servi auſcultate Dominis veſtris ſecundum carnem cum timore ac tremore cum ſimplicitate cordis veſtri*, *ut Chriſto*.

Canones.

1. *Obedientia non tantum piis Magiſtratibus ac Dominis, ſed Tyrannis quoque præſtanda eſt.*

1. Pet. 2. 13. *Subjecti eſtote cuivis humanæ ordinationi propter Dominum* & vers. 18. *Famuli ſubditi eſtote*, *cum omni timore Domini*, *non ſolum bonis & æquis*, *ſed etiam pravis*. *Hoc enim gratum eſt*, *ſi quis propter conſcientiam Dei ſuffert moleſtias*, *iniuſte afflictus*. Exempla ſunt in *Iſraelitis obedientibus Pharaoni*, Exod. 3. &c. In *Daniele* item *obediente Nebuchadnezari*, Dan. 2.

II. Mi-

11. *Minimè verò præstanda est si quid jubeatur Dei Verbo et Conscientiæ bonæ contrarium.*

Exemplum in obstetricibus, Exod. 1. in servis Saulis. 1. Samuel. 22. 17. in Daniele, Dan. cap. 6. in Apostolis: Act. 4. 19. dicentibus, *an apud Deum justum sit vobis potius quàm Deo auscultare, judicate.*

Obedientiæ repugnat Inobedientia, Rebellio, Correctionis Impatientia, & Obedientia in rebus illicitis.

Inobedientiæ ac rebellionis exempla sunt Miriam & Aaron, Num. 12. Core, Dathan & Abiram, eorumq; complices, Numer. 16 Israelitæ, Numer. 13. Absalon. 2. Samuel. 15. Sheba, 2. Samuel. 20. & similes. Populus Israel Prophetas contemnens, Filii Heli, 1. Sam. 2. Uxor Lothi, Gen. 19. Gehasi, 2. Reg. 5. Obedientiæ in illicitis exemplum est Doegus 1 Sam. 12.

Gratitudo est, qua inferiores superiorum benevolentia ac beneficia agnoscentes, gratum animum voluntate & facto, quotiescunque & ubicunque possunt, testantur.

Præstanda est hæc quoque Magistratui, *reddendo tributum, vectigal, &c.* Rom. 13. 7. *& pro eodem orando.* 1. Tim. 2. 1. *&c.* Ministris, 1. Thess. 5. 12. *Rogamus autem vos, fratres, ut agnoscatis eos, qui laborant inter vos & præsunt vobis in Domino, & admonent vos, & quam maximè charos ducatis propter opus ipsorum &c.* Parentibus, Proverb. 23. 25. *Lætetur pater tuus & mater tua, exsultetque genitrix tua.* Exemplum in Iosepho, Davide, &c. Atque hæc gratitudo in specie nominatur ἀντιμισθία.

Gratitudini opponitur ἀχαριστία qua Superioribus nulla aut mala gratia refertur, cuius exemplis Scriptura plena est.

Et hæc de inferiorum virtutibus. Superiorum virtutes sunt, Benevolentia, Justitia & Sedulitas

Bene-

Benevolentia Superiorum est, qua proprio erga inferiores sunt animo, eundemque affectum, quoties possunt, facto ipso declarant.

Benevolentiæ hujus exemplum Magistratibus proponitur in Mose Exod. 32. Ministris in Paulo Rom. 9. 1. Parentibus commendatur eadem Ephes. 6. 4. *Et vos patres, nec provocate liberos vestros ad iram, &c.* Atque hæc parentum benevolentia σοργὴ appellatur etiam à Gentilibus. Eandem inculcat Paulus Maritis, Eph. 5. 12. *Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiã, &c.* & Dominis, v. 9. eius. cap. *Et vos Domini eadẽ facite erga illos, remissis minis, scientes vestrum etiam ipsorum Dominum esse in cœlis, &c.*

Opponitur ei inferiorum contemptus, ἀσοργία, et similia.

De contemptu inferiorum loquitur Deus, De. 17. 18. *Ne efferatur animus eius præ fratribus?* De ἀσοργίᾳ Christus alt, Matth. 7. 9. *quis est ex vobis homo, qui si filius ejus petierit ab eo panem, det ei lapidem?*

Justitia Superiorum est, qua hoc agunt, ut Inferiorum cuique quod æquum est tribuatur.

Exercent hanc imprimis Magistratus, utramque Legis tabulam custodiendo, veram; Religionem promovendo, et asserendo: ut vidimus superiore libro in doctrina de Ecclesia. Exercent eandem, leges ferendo, transgressores puniendo, observatores præmiis afficiendo, & subditos adversus vim injustam defendendo.

Opponitur huic Neglectus justitiæ, et Tyrannis.

De justitiæ neglectu legitur Esa. 1. 23. *Pupillo jim non dicunt, & viduæ causa non pervenit ad eos.* De iniustitia & tyrannide ibidem. *Principes tui contumaces, socii furum.* Eandem graviſſimè reprehendit Deus, Ezech. 34. in pastoribus populi Israelitici. Parentes similiter aut nimiâ indulgentia peccant, ut Eli. 1. Samuel. 2. aut nimio rigore, ut Saul, 1 Sam. 14.

Sedu-

Sedulitas, quæ et Diligentia, Fidelitas, Vigilantia dicitur, est virtus, qua quisque superiorum labores officii sui libenter exequitur, doniſque á Deo acceptis, Inferioribus prodesse satagit.

De hac virtute inquit Apostolus, Rom. 12. 8. *Qui præest, cum diligentia præsit.* Eandem inculcat Paulus miniſtris & Senioribus, Act. 20, 21. *Attendite ad vos ipsos & totum gregem, in quo vos Spiritus sanctus constituit Episcopos, &c.* Parentes eandem probant, *filios in Dei timore educando* Ephes. 6, 4. *& iisdem in temporalibus quoque prospiciendo*, 2 Cor. 12, 14.

Opponitur et Ignavia et Πολυπραγμοσύνη.

De Ignavia clamat Deus, Ierem, 48. 10. *Maledictus, qui opus Domini facit fraude.* De πολυπραγμοσύνη Petrus, 1 Pet. 4, vers. 15. *Ne quis vestrum affligatur, ut homicida; aut fur, aut maleficus; aut alienarum rerum inspector,* ὡς ἀλλοτριοεπίσκοπος.

CAPUT X.

In quo

De *Virtutibus & operibus ad sextum præceptum pertinentibus.*

HActenus de virtutibus et officio Superiorum erga Inferiores, et contrà. Sequitur nunc officium cujuſvis erga quoſvis.

Versatur illud circa hominis bona interna, aut externa.

Interna eius bona sunt, Vita et Pudicitia.

De Vita agitur sexto præcepto, cujus summa est Ut noſtram proximique vitam conſervemus.

Præceptum negativum est. *Non occides.* Ex quo affirmativum colligitur, *Vitam tuam & proximi conservabis.*

Virtus

Virtus igitur hic præcepta, est studium conservandæ vitæ tum nostræ, tum alienæ quoque.

Nostræ vitæ conservatio, consistit in legitimo usu legitimorum mediorum: quod genus sunt cibus et potus, recreatio, medicina, periculorum declinatio & iniuriæ propulsatio.

CANON.

Iniuriæ propulsatio tum legitima est, cum fit 1. *Incontinenti.* 2. *Necessitate sic efflagitante:* 3. *Non ulciscendi aut lædendi animo, sed ita, ut quis solum sui conservandi et ab iniuria tuendi voluntatem et intentionem habeat.*

Propriæ vitæ conservationi opponitur tum eius Neglectus, tum Αὐτοχειρία, qua quis sibi ipsi mortem consciscit, et Conservatio vitæ illegitima.

Qui media vitæ negligunt, omittendo peccant; qui vero sibi ipsis mortem consciscunt, committendo delinquunt. Sunt autem Αὐτοχειρίας gradus; aut enim directè sic, seu gladio, seu laqueo, seu veneno, seu alio tali medio: vel indirectè, qualiter se ipsos interimunt, qui temere ac petulanter se periculis exponunt, ut facere solent pugiles, funambulones, helluones, &c. Conservatio vitæ propriæ illegitima est, quæ fit veritatis abnegatione, aut simili medio.

Studium conservandi vitam proximi est, quo non solum ab eius læsione abstinemus, sed vitam ac incolumitatem eius amamus, & eandem pro viribus tuemur.

Huic non solum eius neglectus, sed & cædes iniustæ, odium & maledictum seu exprobratio peccati admissi aut inhærentis defectus opponuntur.

Nega-

Neglectus exemplum in iis eſt, qui eos, qui iniuſtè occiduntur, cum poſſent, non aſſerunt, Prov. 24. 11. *Eripe raptos ad mortem; nam à declinantibus ad necem an tohiberes te?* Si dicas, *en ignoramus hoc, &c.* Cædes injuſta non ex officio Magiſtratus aut ſub inculpatæ tutelæ moderamine, ſeu ex privato affectu patrata, quàm gravis ſit, quamque gravem meretur pœnam, patet ex 9. cap. Geneſ. v. 6. *Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis eius effundetur; quia in imagine ſua fecit Deus hominem.* De odio inquit Ioan. 1. Epiſt. 3. 15. *Quiſquis odit fratrem ſuum, homicida eſt.* De maledicto Chriſtus, Matth. 5. 22. ait, *Qui quis dixerit, fratri ſuo Raca, tenebitur conſeſſus: quiſquis vero dixerit, fatue, tenebitur gehennæ igni.*

Studio huic duo virtutum genera ſubordinantur: aliæ enim ad nos ipſos, aliæ ad aliosquoque coercendos, & ab homicidio abſtrahendos faciunt.

Prioris generis ſunt, Innocentia, Manſuetudo, Clementia et Ἐπιείκεια.

Innocentia eſt, qua quis omnibus modis à proximi læſione ſibi cavet.

Opponitur ei Iniuria verbo factove illata, et Innocentia fucata.

Verbo quoq; iniuriam inferri, eoq; vitam lædi, certum eſt; ſiquidem vita non judicatur, niſi quâ bene vivitur. Unde Chriſtus quoque maledictum, ad homicidium refert, Matth. 5. Fucatæ innocentiæ exemplum eſt in Pilato, manus abluente, Matth. 27.

Manſuetudo virtus eſt, qua ira ne ἀταξίᾳ effervelcat, cohibetur, et velut fræno compeſcitur.

Matth. 5. 5. *Beati qui ſunt mites, quoniam ipſi terram hæreditatis iure poſſidebunt.*

Opponitur Manſuetudini Iracundia, Ira iniuſta, Lenitudo ſeu iræ etiam iuſtæ Vacuitas, et Vindictæ cupiditas.

De

De iracundia Solomon inquit Eccles. 7. 9. *Ne perturbatè spiritu tuo indigneris.* De ira iniusta Moses, Lev. 19. 18. *neque iram asservato in populares tuos.* De lenitudine Heli Sacerdotis legitur 1. Sam. 2. Vindictæ cupiditas cit. loc. Lev. 19. damnatur.

Clementia est, qua in pœnis inferendis justa adhibetur moderatio.

Opponitur huic Feritas seu Crudelitas, et nimia Indulgentia.

Utrumque vitium est homicidii quoddam genus; nam & nimio rigore, et nimia indulgentia in proximi vitam et salutem peccatur. *Bonis nocet qui malis parcit.*

Ἐπείκεια est virtus Clementiæ cognata, quâ de nostro jure, aut propter publicam, aut eorum qui peccant, salutem, aut propter scandalum vitandum aliquid remittimus.

Differt hæc à clementia: quod clementia propriè tribuatur *Magistratui, &c.* ἐπείκεια vero requiratur ab omnibus Christianis, Philip. 4. vers. 5.

Opponitur ei summum Jus, quod vulgò summa dicitur Iniuria.

Posterioris generis sunt Justitia vindicatrix, et Fortitudo.

Justitia vindicatrix est, qua maleficia convenientibus pœnis coercentur, ut unus potius pereat, quàm unitas.

Opponitur ei nimia Lenitas, quæ scelerum licentiæ parit patrocinium.

Non tantum occidendo peccatur, sed etiam cum jus requirit, non occidendo. Exempl. in Saule, 1 Sam. 15.

Fortitudo est, qua pro singulari excelsi invicti animi robore asperа perferuntur, et ardua suscipi-

un-

piuntur, ad gloriæ Dei, noſtri et proximi defenſionem.

Ei opponitur Ignavia ſeu *Puſillanimitas* ex metu periculorum vel voluptatum cupiditate orta: Temeritas item et nimia Audacia, quo et Duella ancipitis iuris probandi cauſa, aut ex alia levi et temeraria occaſione ſuſcepta faciunt.

Optimè iſtiuſmodi conflictus ad αὐτοχειρίαν refertur.

Utraque, Juſtitia nimirum et Fortitudo, pacis aut belli tempore elucet: unde togata aut bellica nominatur.

Bellum eſt inimicitia publica, quam Magiſtratus armata manu exercet, ad fines Deo placentes et Reipublicæ utiles.

CANONES.

I. *Bellum gerere Chriſtianis non minus licet quam olim Judæis.*

Ratio eſt, quia nuſquam id in Novo Teſtamento prohibetur; et in fidelium numerum referuntur quoque Capitaneus Capernai. ticus, Matth. 8. et Cornelius Centurio, Act. 10. Nec Ioannes milites à bello, ſed ab iniuſtitia dehortatus eſt, Luc. 3.

II. *Bellum non privata, ſed Magiſtratus autoritate gerendum eſt.*

III. *Bellum non geratur, niſi juſtum et neceſſarium fuerit.*

IV. *Juſtum erit, materiæ, formæ, et finis reſpectu, ſi in cauſa juſta, ſi bono fine et Juxta verbi Dei præſcriptum geratur.*

V. *Neceſſarium erit, ſi prius rei conſilio, quam armis tentata fuerit.*

VI. *Suſ-*

VI. *Suscepto bello, vi an ex insidiis ac dolo res agatur, nihil interest.*

VII. *Dolus cum mendacio & pactorum violatione conjunctus, probandus non est: cum dissimulatione vero peractus, probandus est.*

VIII. *Etsi verbo non ferro Ecclesia extructur; extructa tamen etiam armis adversus vim iniustam jure propugnatur.*

CAPUT XI.

In quo

De virtutibus et Operibus ad septimum Præceptum spectantibus.

SIc fuit officium nostrum circa vitam proximi, de nostra et aliorum Pudicitia conservanda agitur septimo præcepto.

Summa eius est, Velle cœlestem Legislatorem, ut nostra aliorúmq; pudicitia inviolata conservetur,

Præceptum hoc negativum est, *Non mœchaberis.* Synecdochicum item; Adulterii enim nomine omnis libido & intemperantia intelligitur. Hinc itaq; affirmativum formatur. *Ut temperantiæ studendo nostram aliorumq; pudicitiam conservemus.*

Pudicitiæ conservandæ duo sunt media, temperantia et Coniugium: prius omnibus præcipitur, posterius iis qui ad coniugium vocantur.

Temperantia virtus est; quæ animi nostri affectus in voluptatibus corporis appetendis seu fugiendis moderatur.

Tit. 2. 11, 12. *Illuxit gratia illa Dei salutifera quibusvis hominibus, Erudiens nos, ut abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus, temperanter & justè & pie vivamus in præsenti seculo, exspectantes beatâ illam spem, & illustrem illum adventum gloriæ, magni illius Dei ac Servatoris nostri Iesu Christi.*

Tem-

Temperantiæ opponitur Intemperantia et Ἀναισθησία, qua quis etiam voluptates iicitas et honestas asspernatur: nec non Temperantia hypocritica, qualis est Eremitarum et Monachorum.

Temperantia tum sobrietas et castitas est, tum verecundia et honestas. Priores virtutes ad nos, posteriores ad proximum referuntur.

Sobrietas est temperantia à superfluo cibo et potu.

Studendum sobrietati: I, Propter Dei mandatum. II. Propter rationes, quæ ei adduntur; petitas à vocatione nostra; 1 Thes. 5. 8. *At nos qui sumus diei: sobrii simus.* A precum necessitate, & a Mundi fine 1 Pet. 4. 7. *Omnium autem finis imminet. Estote igitur temperanter & sobrii ad preces.* A Satanæ denique insidiis, 1 Pet. 5. 8. *Sobrii estote, & vigilate, nam adversarius ille vester Diabolus ut leo rugiens obambulat, quærens quem absorbeat.*

Sobrietati opponitur Cupedia, qua in cibo et potu nimiæ quæruntur deliciæ ac lautitiæ, Ingluvies item seu voracitas, ac Ebriositas & Abstinentia noxia.

De cupedia Salomon ait Prov. 23. 1, 2, 3. *Quando sedebis ad vescendum cum dominante, diligenter considera quid propositurus sis tibi. Alioquin inderes cultellum faucibus tuis, si appetentis præditus esses. Ne affecieris desideria cupediarum eius; est enim cibus mendax.* Ingluvies vero & ebriositas vitanda est: I. Quia à Deo interdicta, Prov. 23. 20, 31, Luc. 21. 34. Rom. 13. 13. II. Quia nocentissima sunt eius effecta: impedit enim meditationem operum Dei: Esa. 5. 12. et cogitationem de adventu Christi, Luc. 21. 34. Preces item, 1 Pet. 4. 7. accendit iras & rixas, Proverb. 20, 1. et 29. 30. incentivum est libidinis, Proverb. 23. 31, 32. scandalum præbet, ut docet exemplum Noachi, Genes. 9, & Regno Dei excludit, 1 Corinth. 6. 10. Gal.

Gal. 5.21. Abstinentia noxia est, quà à cibo & potu, cùm valetudinis dispendio, abstinetur.

Sobrietati affinis est Vigilantia, quà à nimio aut intempestivo somno abstinetur, ut Deo alacriter serviamus, et vocationis operibus invigilemus.

1 Pet. 5.8. *Sobrii estote, & vigilate.* Ut autem *sobrietatis* nomine, quandoque abstinentia à superbia & pravis affectibus notatur, Rom. 12. 3. ita *Vigilantia* sæpe spiritualis intelligiturtanquam abstinentia à securitatis somno, quo fere respicit Petrus citato loco.

Vigilantiæ opponitur Somnolentia, et Vigiliæ superstitiosæ, quales sunt Monachorum.

Castitas quæ et Sanctimonia dicitur, Rom. 9. 19. est temperantia à libidine.

Studendum castitati; 1. Quia à Deo præcipitur, Lev. 19. 2. *Sancti estote, quoniã ego Iehova Deus vester sanctus sum.* 1. Thess. 4. 3. *Hæc est voluntas Dei vestri; sanctimonia, h. e. ut abstineatis à scortatione.* II. *Quia eius sectatores Deum videbunt,* Mat. 5, 8. Heb. 12. 14.

Opponitur Castitati tum Castitas simulata, qualis eorum sæpe est, qui voto castitatis obstricti sunt; tum omnis impuritas, velut fornicatio, Adulterium, Stuprum, Incestus, Raptus, Mollicies, Sodomia, Bestialitas, &c.

Etsi autem istorum peccatorum sint gradus, omnia tamen Regno cœlorum excludunt, ut docetur apertè, 1 Cor. 6. 10. &c. Et quam graviter illis Deus offendatur, docet Diluvium, Sodomæ conflagratio, Israelitarum clades, Num. 23. Calamitates Davidi immissæ, Troiæ excidium, & similia.

Verecundia est temperantia à verborum obscœnitate, et gestuum lascivia.

Hebr. 12, 28. *Teneamus gratiam per quam ita colamus Deum, ut grati ei simus, cum verecundia & reverentia.*

Op-

Opponitur ei Verborum obscœnitas et gestuum lascivia ac turpitudo; choreæ item, obscœnæ picturæ et cantiones, turpia spectacula, &c.

Proverb. 6. v. 12, 13. *Homo nequam, vir nihili ambulat perverse; nictat oculis suis, verba facit pedibus, docet digitis suis:* et 5. 25. *Ne desiderato pulchritudinem eius cum animo tuo, neque capiat te palpebris suis. Nam propter mulierem meretricem devenitur usque ad fruſtum panis, &c.* Ephes. 5. 4. *Oscœnitas, stultiloquium, & scurrilitas, quæ non conveniunt.*

Honestas est temperantia à turpi aut lascivo corporis vestitu ac cultu.

Exod. 20, 26. *Neq; ascendito per gradus ad Altare meum, ut non deteganter pudenda tua,* 1 Tim. 2. 9. *Volo itidem mulieres amictu honesto, cum verecundia & moderatione ornare sese.*

Hæc de priore Pudicitiæ conservandæ medio, posterius est Coniugium.

Est autem coniugium unius maris et unius fœminæ ex legitimo consensu individua coniunctio, ad Dei gloriam et coniugatorum bonum instituta.

CANONES.

I. *Conjugium non tantum juris naturæ & gentium, sed et juris divini exsistit; quippe à Deo institutum et præceptum, et per Christum ab abusibus et corruptelis, quasi postliminii jure vindicatum.*

Gen. 1. 28. & 2. 22, Matth. 19. 8, &c.

II. *Nec temere seu citra singularem Dei providentiam contrahitur.*

Prov. 19. 14. *Domus & substantia possessio est patria: à Iehova autem est uxor intelligens.*

III. *Causa*

III. *Causa eius efficiens proxima est legitimus consensus,*

IV. *Estque consensus ille tum parentum seu eorum qui parentum sunt loco, tum coniugandorum.*

V. *Parentum consensus prior tempore esse debet ad conservandam filialem reverentiam.*

Exod. 22. 17. *Si plane renuit pater eam dare.* Deut. 7. 3. *Filiam tuam nè dato filio ullius earum, & filiam ullius ne accipito pro filio tuo,* Ier. 29. 6. *Accipite etiam filiis vestris uxores, & filias vestras tradite viris.* Testatur eventus, conjugia invitis parentibus contracta sæpenumero esse infelicia.

VI. *Coniugandorum autem consensus potior est iure.*

Ratio, quia nisi conjugandis consensus intercedat, nullus erit amor conjugalis, nulla mutua benevolentia, ideoque nullum conjugium. Ut igitur filialis reverentiæ est, ante omnia parentum requirere consensum: ita paternæ στοργῆς est, filium seu filiam nec tyrannice à coniugio honesto abstinere; nec ad coniugium invitos cogere. Non igitur statim propter parentum dissentionem coniugium nullum est, nisi personæ coniugandæ ætas inferior, aut aliæ graves & ponderosæ causæ subsint. Quod si vero parentes legitimas causas coniugium impediendi aut ad coniugium cogendi non habeant non ideo statim parentum consensus contemni debet, sed Magistratus, Ministrorum, amicorum et similium erit parentes sui commonefacere officii, ut tandem suum quoq; consensum præbeant.

VII. *Vt autem à consensu abesse debet coactio, ita fraus quoque.*

Variæ in contrahendis coniugiis fraudes committi solent quæ aut personam concernunt sicut Iacobo tradita est Lea pro Rabele, aut Castitatem alterius, velut si quis ignorans ducit ab alio compressam

pressam; aut facultates, ut si quis putavit sponsam nobilem aut divitem esse. Primum fraudis genus conjugium dissolvit. Poterat Iacobus Leam repudiare, quia prius ei cum Lea non intercesserat consensus. Secundum genus quod attinet, Mosis est sententia, Deuter. 22, talem pro adultera habendam, & lapidibus obruendam esse. Usitato autem jure, si accesserit sponsi congressus, pronunciatur, ut talem retineat. Tertium fraudis seu erroris genus conjugium non dirimit.

VIII. *Si consensus absolutè præbetur & sine conditione, sponsalia de præsenti dicuntur: si verò cum conditione, consensus parentum, dotis, &c. sponsalia de futuro nominantur. Prius consensûs genus, verum initium est conjugii præsentis; posterius conjugium non facit, nisi conditio requisita adimpleatur, aut non expectatâ ejus implctione intercesserit concubitus.*

IX. *Materia conjugii, sunt personæ conjugandæ, quarum considerari debet.* 1. *Numerus.* 2. *Ætas.* 3. *Propinquitas.* 4. *Religio.*

X. *Numerum quod attinet, coniugium est unius maris & unius fœminæ. Vnde & bigamia & polygamia damnatur.*

Rationes sunt. I. Quia bigamia & polygamia repugnant institutioni primævæ, quâ non duas aut plures, sed unam fœminam Deus uni Adamo desponsavit, Gen. 2. II. Quia repugnat instaurationi Legis à Deo initio latæ *agglutinabitur vir uxori suæ, & qui duo fuerant, erunt una caro*, à Christo facta Matth. 19. 5. III. Quia bigamia & polygamia reventum est hominis impii; primus enim bigamus fuit Lemecus, Gen. 4 IV. Quia tollit veram coniugum pacem, ut patet exemplo Iacobi, Genes. 30. & Elkanæ; 1. Samuel 1. Nec vero quia concubinatum & bigamiam toleravit olim Deus

Deus, ideo approbavit: contrarium enim pater ex Christi tententia citata, Lo- | cus Levit. 18,18. ut eum vertit Iunius, bigamiam expreſſe prohibet.

XI. *Ætas juſta requiritur, propter ſobolis procreationem, propter prudentiam œconomicam & tam ſancti ordinis honorem.*

XII. *Propinquitas in quibus gradibus conjugium impediat, docetur* Lev. 18.

XIII. *Eſt autem conſanguinitas, aut affinitas illa eorum eſt, qui ab una communi ſtirpe deſcendunt; hæc aut uxoris eſt cum mariti, aut mariti cum uxoris conſanguineis.*

Propriè loquendo inter mariti & uxoris conſang.i- | neos nulla intercedit affinitas.

XIV. *In his gradus & linea ſpectari debet. Gradus eſt diſtantia à ſtirpe ſeu communi parente. Linea eſt graduum ſeries, ſive inter aſſcendentes & deſcendentes, quæ* recta linea; *ſive inter collaterales, quæ* linea tranſverſa, *& aut* æqualis *aut* inæqualis *dicitur.*

Primario quidem gradus & linea in conſanguinitate, analogicè vero in affinitate quoque conſide- | ratur. Quo enim gradu quis conſanguineus eſt uxori, eodem quoque affinis eſt marito.

XV. *Gradus conjugandorum non ex jure Canonico judicandi ſunt: Quum Pontifex Romanus ſe ſupra omne Numen efferens, & à Deo prohibitis non prohibitos addat, & Expreſſè à Deo prohibitos intercentu pretii relaxet: ſed ex Levit. 18. & Deut. 27.7.*

XVI. *In linea recta aſſcendentium & deſcendentium perpetuum eſt conjugii obſtaculum.*

Hinc

Hinc si *Adamus* superstes esset, uxorem ducere non posset: nec Eva alii nuberepossit, quàm *Adamo*

XVII. *In linea collaterali æquali, jure divino, arcentur à conjugio, in consanguinitate frater & soror: maritus item & uxoris defunctæ soror, aut uxor et defuncti mariti frater.*

Patruelium & consobrinorum conjugium Lex divina non improbat, sed jus Canonicum, & certarum Rerum publicarum statuta, qualia sunt Reipublicæ *Basilienſis*. Causa eius rei est, ut majore reverentia à gradibus à Deo prohibitis abstineatur.

XVIII. *In linea collaterali in æquali non possunt duci aut ducere, qui parentum loco sunt, qui stipiti seu superioribus à latere adjunguntur.*

Nec igitur neptosamitam aut materteram ducere, nec neptis nubere potest patruo aut avunculo. Affinitatem quod attinet, prohibitio conjugii cum sorore uxoris aut cum fratre mariti est iuris naturæ. In reliquis non ita latè se extendit affinitas: maritus à consanguinea uxoris abstinere debet, non autem mariti consanguineus à consanguineis uxoris, & è contrario. Possunt igitur contrahere duo fratres cum duabus sororibus: pater & filius cum matre & filia, non autem pater cum filia, & filius cum matre; sic enim ordo naturæ inverteretur: possunt quoque contrahere privigni & privignæ. Pater vero & Filius duas sorores ducere non possunt: una enim alteri fieret socrus.

XIX. *Religionis quoque habenda est ratio: ne contrahatur cum persona, quæ alterius est religionis.*

Aliud est, loqui de conjugio iam contracto, de quo Apost. 1 Cor. 7, aliud de conjugio contrahendo. Tale enim severissime prohibetur, Exod. 34, 16, &c. Deut. 7, 3. ubi ratio quoq; adducitur à periculo seductionis. Quibus & Paulli dictum consonat, 2 Cor. 6, 14.

6.14. *Nec in pari iugo copulemini cum impiis.* Et quis talium coniugiorum sit eventus, docent triſtia exempla primi Mundi, Gen. 6. Salomonis: 1. Reg. 22. Ahabi, 1. Reg. 21. 15. Ioſaphat; qui filio Ioramo uxorem dedit filiam Ahabi, à qua ſeductus fuit. 2. Reg. 8. Valentis imperatoris, à coniuge ad Arianiſmum ſeducti & impulſi.

XX. *Forma Conjugii in mutua conjugum benevolentia conſtit, cuius nomine mutuus amor, mutuum auxilium, ſolacium & ſimilia intelliguntur.*

Vide 1. Cor. 7. 3, 4. 5. Epheſ. 5, 22. &c. 1. Tim. 2, 8. 1. Pet. 3, 5. &c.

XXI. *Publicæ conſecrationis ritus etſi à Deo expreſſè non præceptus ſit, piè tamen inter Chriſtianos ſervatur.*

XXII. *Finis conjugii præcipuus eſt Dei gloria: Subordinatus naturalis eſt vel adventitius. Naturalis eſt, ad quem coniugium initio eſt inſtitutum ſobolis nimirum procreatio & mutuum auxilium. Adventitius eſt, ut poſt naturæ corruptionem, caſtitatis & pudicitiæ tuendæ ſit remedium.*

XXIII. *Coniugii præceptum non ſimpliciter neceſſarium eſt, nec omnes homines obligat; ſed eos tantum obſtringit, qui extra coniugium caſtitatem illibatam ſervare nequeunt, adeóque ad coniugium quodammodo facti videntur.*

Matth. 19. 11. *Non omnes ſunt capaces huius ſermonis ſed ii quibus datum eſt.*

XXIV. *Interea, ut coniugium per ſe honeſtum eſt, ita nullus hominum ordo eſt, quem dedeceat.*

Impie

Impie igitur Papani coniugio Miniſtris interdicunt. Per ſe honeſtum eſſe, non ſolum dicto Apoſtoli, Heb. 13, 4. *Coniugium honorabile eſt inter quoſvis*, conſtat; ſed ex eius divina inſtitutione, in ſtatu innocentiæ; Geneſ. 2. ex eius aſſertione adverſus abuſus: Matth. 19. & ex benedictione nœgamis in Canæ Galilææ facta; Ioan. 2. Quod vero Miniſtros quoque deceat, patet ex iis quæ ſupra lib. 1. c. 26. can. 3 dicta.

XXV. *Si quis adulterio à ſe pollutam duxerit, non conjugium eſt, ſed adulterii continuatio.*

Coniugio alia ſecundum quid, alia ſimpliciter repugnant.

Secundum quid ei repugnant, quæ pacem & mutuam benevolentiam coniugum turbant; quod genus ſunt. 1. Zelotypia. 2. Socordia in curanda re familiari. 3 Moroſitas & amaru.entia. 4. Contumacia; garrulitas, procacitas.

Simpliciter coniugio repugnant, adulterium ſeu ſcortatio cum alterius coniuge; & malitioſa deſertio.

Taliter adulterium deſcribitur iis locis, quibus ut, capitale interdicitur, Levit. 18, 20. 20, 10. Deut. 22. 22. Proverb. 5, & 6. Adulterium igitur non perpetratur niſi cum alterius coniuge, ſeu a marito id fiat, ſeu a iuvene. Congreſſus autem mariti cum ſoluta ſeu meretrice, *fornicatio* in Scripturis dicitur, Proverb. 23, 27, 28.

Utrumque iſtorum parit divortium.

Matth. 19 9. *Dico autem vobis quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob ſcortationem, & aliam duxerit, mœchatur; &c.* 1. Corinth. 7, 15. *At ſi infidelis ſeſe ſeparet, ſe paratus eſto, non eſt ſervituti ſubjectus frater aut ſoror in huiuſmodi caſibus.*

A.R. Divortium fit vel reſpectu thori, vel reſpectu cohabitationis: quin et Adulterium vel publice innotuit, vel ſuſpicioſum eſt atque occultum. Adulterium notum debet puniri à magiſtratu per divortium tum thori, tum cohabitationis: at vero ſi in ſuſpicionem veniat femina adulterii tantum, poteſt maritus eam communi thoro arcere, domo ejicere non poteſt; quia hoc eſt publici ſupplicii, ac proinde irrogari debet à publico magiſtratu. Verum non in quovis **adulterii** caſu continuo licitum eſt, aut neceſſarium *Divortium*: nam 1 ſi adulteram ſubierit pœnitentia, oportet partem læſam ignoſcere atque in gratiam cum eâ redire. 2, ſi metus ſit aut periculum ne pars offendens in tetterima quæque perdeſperationem præcipiret. 3. ſi vir uxoris ſuæ leno fuerit, cum ipſe potius adulterii cauſa ſit. 4. ſi fœminæ alter per vim ſtuprum intulerit. 5. ſi maritus poſt commiſſum adulterium, ſciens cum uxore rem habuerit; non debet is eam dimittere ob antegreſſum facinus. 6. ſi tam vir ſcortetur, quam mœchatur uxor, neuter alterum dimitteredebet. 7. Si vir diu abfuerit, neque cum uxore per literas communicaverit, unde illa maritum defunctum rata alteri nubit: in hoc caſu, tenetur is uxorem rurſus accipere ubi redierit. In hiſce omnibus caſibus Divortium non eſt uſurpandum; Chriſtus enim ipſum non jubet, ſed permittit. Rurſus, ſiquis imprudens, aliam ac decreverat, uxorem duxerit, quem fucum *Jacobo* fecit *Laban*, et pro *Rachele Leam* ſubſtituit, non tenetur is eam dimittere.

CA.

CAPUT XII.

In quo

De *Operibus ad octavum Præceptum pertinentibus.*

OFficium in noſtra aliorumque Pudicitia conſervanda', ſequitur officium noſtrum circa facultates terrenas noſtras & proximi.

De hoc agitur præcepto octavo, cujus ſumma eſt, Ut & in noſtris & aliorum facultatibus conſervandis æquitati ſtudeamus.

Præceptum negativum & ſynecdochicum eſt, Ne furator, ubi furti nomine, ſynecdochicè quævis inæquitatis, circa fortunæ bona, ſpecies intelligitur. Unde affirmativum concluditur, Ut in rebus terrenis juſtè agamus.

Virtutes ad hoc præceptum pertinentes ad proximum aut ad nos ipſos referuntur.

Ad proximum refertur Juſtitia & Beneficentia.

Juſtitia huc pertinens eſt commutativa, quâ ita cum proximo noſtro agimus, nè aut nobis aut ipſi fiat injuria.

1 Theſſ. 4. 6. Ne quis opprimat aut circumveniat in negotio fratrem ſuum: nam ultor eſt Dominus omnium iſtorum, &c.

Juſtitiæ opponitur injuſtitia, quæ hoc præcepto *furti* nomine deſignatur.

Eſt autem furtum, cum quis rem alienam ſuam facit, inſcio vel invito domino ſeu poſſeſſore.

CANONES.

1. *Variè furtum committitur, ſeu modum, ſeu res objectas ſpectemus.*

11. *Modum quod attinet, furtum directe, vel oblique committitur. Directè, rem alienam aut illam seu inscio possessore: (a) aut vi aperta, seu conscio & invito Domino, rapiendo. (b) Obliquè admittitur factis aut verbis; factis rem inventam non restituendo, (c) aut eum furibus partiendo (d) de verbis vero in foro perpetratur leguleiis & judicibus, aut falsam sententiam ferentibus, aut jus pervertentibus. (e)*

(a) Exemplum clandestini furti est in Micha Ephraimita, qui inscia matre, argentum mille centum siclorum abstulit, Iud. 17,2. (b) Furtum vi aperta committentes, raptores dicuntur, seu milites, seu alii sint. Luc. 3,14. *Interrogarunt autem Ioannem milites, dicentes, & nos quid faciemus: Et ait, neminem concutite, neq; dolo opprimite quemquam, sed contentiestote stipendiis vestris.* (c) Deut. 22.1. *Videns bovem fratris tui, aut pecudem eius devios, non occultabis te ab illis, sed omnino reducito eos ad fratrem tuum.* (d) Proverb. 29.24. *Qui partitur cum fure, odit seipsum.* (e) Esa. 1.23. *Principes tui contumaces & socii furum: unusquisque amat munus & sectatur retributiones; pupillo jus non dicunt, &c.*

111. *Objectum quod attinet, furtum committitur in personis. (a) aut in rebus, seu privatis seu publicis: quo pertinent perfida administratio boni publici in Republica: (b) aut in Ecclesia seu rebus Deo consecratis: (c) terminorum mutatio: (d) mercedis fraudulenta detentio.*

(a) Tale furtum *plagium* nominat Apostolus. 1, Tim. 1.10. (b) 1. Cor. 4,2. *Illud requiritur in dispensatoribus, ut fidus quisque inveniatur.* (c) Hoc furtum *sacrilegium* nominatur. Proverb. 20, 25 *Tendicula est homini deglutire sacrum, &c.* Exemplum eius in Achane Ios. 7. & in Iuda, Ioan. 12,6. (d) Prov. 22.28. *Ne moveto*

moveto terminum antiquum quem optarunt Maiores tui, [e] Iac. 5. 4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quâ illos fraudastis, a vobis clamat:*

Justitia commutativa pro contractum varietate triplex est: aut enim exercetur in rebus vendendis ac emendis: aut in utendis: aut in custodiendis.

Justitia in vendendo & emendo est, quæ rerum & pretii æqualitatem observat.

Huic opponitur iniustitia, quæ exercetur. 1. in re non vendibili. (a) 2. In re vendibili. Peccatur enim à Venditore, corrupta pro puris vendendo: (b) mensuras & pondera corrumpendo: (c) rerum pretia citra necessitatem augendo: (d) merces monopolii instituendi causa coemendo. (e) Ab Emtore vero peccatur aut rem venditam dolosè extorquendo, (f) aut non solvendo. (g)

[a] Actor. 8. 20. *Argentum tuum tecum pereat, qui donum Dei existimasti pecuniis acquiri,* ait Petrus ad Simonem Magum. Unde non Simonis Petri, sed Simonis Magi imitatores sunt; & *Simoniaci* dicuntur, qui in sacris nundinantur, Similes sunt illis, qui ius venale prostituunt, qui munera & similia vendunt. [b] Velut cum vino aqua, & tritico paleæ admiscentur. Amosi 8. 6. *Ut quisquilias frumenti vendamus.* (c) Deut. 25. 13. *Ne esto tibi in loculo tuo diversum pondus, &c.* Amosi. 8. 5. *Minuendo Ephaim & maius faciendo pondus, ac pervertendo lancibus dolosis* [d] Amos 8. 6. *Comparando pecunia tenues.* [e] Similes sunt, qui hoc faciunt, ovibus petulcis, quæ saturatæ, reliquum pascuorum conculcant pedibus, Ezek el. 34. 18 [f] Prov. 20. 14. *pessimum est ait emptor, sed cum digressus fuerit, tum seipsum laudat.* [g] Psalm. 37. 21. *Mutuò accipit improbus, & non solvit.*

Justitia in rebus utendis est, quando in locatione & conductione, usûs aut fructûs lucro æquatur.

In istiusmodi contractu valeat Regula, 2. Cor. 8. 13. *Non ut aliis sit relaxatio, vobis autem oppressio, sed sed pari conditione &c.*

Opponitur ei Injustitia ex parte locatoris & emtoris. Locator peccat, pretium exigendo, ubi gratis dare debebat, (*a*) aut nimium pretium petendo, (*b*) aut rem locatam citius, quam par est, repetendo. (*c*) Conductor peccat, pretium æquum negando, rem non integram aut non justo tempore restituendo, aut debitorum dissimulatione creditorem circumveniendo. (*d*)

(*a*) Pretium olim a fratribus exigi Deus noluit, Exod. 22, 25. Sic Christus quoq; Luk. 6. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Quæ regula tum valet, ubi non iis facultatibus est proximus, ut sit solvendo, (*b*) 2 Cor. 8. 13. *Non ut aliis sit relaxatio, vobis vero oppressio, & contra.* (*c*) Ita statur experientia, quam nexium sit hoc iniustitiæ genus. (*d*) Pertinet huc stellionatus crimen, quando quis pro suo venditat, aut pignori dat, quod jam alii oppignoratum est.

Opportune hic agitur de Usura, quæ est, fructus, quem res locata domino suo parit.

Canones.

I. *Usura licita seu compensatoria est, vel illicita seu tantum lucratoria.*

II. *Licita ex obiecto, fine et modo iudicatur.*

III. *Obiectum usuræ, est homo iis facultatibus præditus, ut creditori aliquid restribuere possit.*

IV. *Fi-*

IV. *Finis est, ut non tantum suum quisque lucrum, sed et proximi adjumentum spectet.*

V. *Modus est, ut Collocans charitate moveatur, Accipiens verò æquitate et honestate ad agnoscendum beneficium et gratum animum ἀντιδοῦναι testandum.*

VI. *Hæ conditiones si observentur, usura reprehendi non potest.*

Usuram per se ac simpliciter improbandam non esse, patet: 1. Quia si simpliciter turpis esset non concessit Deus, ut extraneo in usuram daretur, Deut. 23.20 II. Quia si fundus, domus, equus & similia adfructum elocari possunt tum & pecunia. Regionis Cananææ fructus Deus usuri subiici noluit, ceremoniali significatione: quemadmodum nec agros eius lege mancipii vendi voluit, Lev. 25.23.

VII. *Usura igitur illicita est, quæ aut in pauperes, aut lucri solius studio, præter charitatem et æquitatem exercetur.*

Hæc usura Hebræis, *næschæch* à morsu vel rosione dicitur. Hæcque gravissime prohibetur, Exod. 22. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo, pauperi ipsi, qui tecum est; ne esto ei tanquam fœnerator, nec usuram imponito ei*, Psal. 15,5. *Pecuniam suam non exponit fœnori.* Ezech. 18.8. *In usuram non dans & fœnus non recipiens*, Luk. 6.35. *Mutuâ date, nihil inde sperantes.*

Justitia in rebus custodiendis est, quâ in depositis ac pignoribus repetendis aut restituendis æquitas observatur.

Exod. 22.7. *Si quis dederit proximo suo pecuniam aut supellectilia ad servandum, & id furto ablatum fuerit è domo illius: si deprehendetur fur ipse, reponito duplum: si non deprehendetur fur ille tum sistitor domini illius domus, coram Magistratibus iure iurando se purgaturus, si non extendit manum suam in rem proximi sui, similiq;*

Similis lex de asino, bove & parva pecude sequitur v. 10, 11. Pignus accipiens videat, ne aut pignus recipiat à paupere, aut pignoris loco id retineat, quo pauper carere nequit. Exod. 22. 26. *Si pignore acceperis vestem proximi tui, dum incumbit Sol, restitues illam ei, nam solum operimentum eius est*, Deut. 24. 6. *Ne pignori accipito quicquam molam aut catillum: nam in vitam accipereto.* & v. 10. *Ne ingreditor domum eius, ad pignorandum pignus eius. Foris subsistito, at vir ille, cui tu mutuas, proferat ad te pignus suum foras:* Ezech. 18. 7. *Neminemq; oppresserit, pignus suum debitori restituerit.*

Tantum de Justitia. Beneficentia, est quâ facultatibus nostris ultro proximum nostrum. Juvamus, hæcque virtus in largitionibus minoribus *Liberalitas*: in maioribus, *Magnificentia*: pauperum item respectu *Eleemosyna*: exulum vero & peregrinorum ratione, *Hospitalitas* nominatur.

Ad hanc Scriptura nos incitat, I. Mandato. Luc. 6. *Date, &c.* II. Exemplo sanctorum imo Dei ipsius, qui fons est omnis boni, Luc. 6. 36. *Estote misericordes, prout Pater vester misericors est.* III. Dulcissimis promissionibus. Luc. 6. 38. *Date & dabitur vobis, &c.* Imprimis promissione vitæ æternæ, Matth. 25, 34, 35. *Venite benedicti a Patris mei, &c. Esurivi enim & dedistis mihi, quo vescerer, &c.*

Opponitur ei Beneficentiæ neglectus, Sordities, Immisericordia & Beneficentia intempestiva, &c.

Vide supra cap. 8.

Atque hæc de Virtutibus ad alios relatis. Virtutes ad nos ipsos relatæ, sunt Αὐτάρκεια, Parsimonia, & φιλοπονία.

Αὐτάρκεια virtus est, quâ homo juste partis suâque sorte contentus est.

1 Tim.

1 Tim. 6.6. *Est autem magnus quæstus pietas, cum animo sua sorte contento.*

Opponitur ei incredula anxietas de sustentatione vitæ huius (a): Avaritia (b), & Fastidium rerum præsentium (c).

(a) Quæ non modus refutatur, quàm illustri illa Christi concione, Matth. 6. 25. &c. (b) Avaritia, solicitudine nimia longe deterstabilior exsistit; avarus enim quo plus habet, eo plus appetit & cumulat. Avaritia autem, [πλεονεξία & φιλαργυρία] ferio vitanda est: 1. Quia à Christo prohibetur, Luc. 12.15. *Videte & cavete ab avaritia.* II. Quia est *idololatria*, Matth. 6. 24. & Colossens. 3.5. & Ephes. 5.85. III. Quia radix omnium malorum exsistit, 1. Tim. 6.10. (c) Judæ vers. 16. *Hi sunt murmuratores, queruli.* Aliter Paulus. *Phil. 4.12. Novi deprimi & abundare.*

Parsimonia, Frugalitas quoque dicta est virtus, quâ sumtus ità moderamur, ut non nisi necessarios faciamus, reliquosque in futuros usus servemus.

Studendum ei. I. Quia præcepta Ioan: 6.12. *Colligite reliqua fragmenta, ne quid pereat.* II. Quia remedium est adversus inopiam, & medium ad exercendam beneficentiam.

Opponitur ei nimia Tenacitas & profusio.

Φιλοπονία, seu studium honestè rem parans est virtus, quâ quis honestis laboribus facultate, comparat, ut ita suæ et aliorum prospiciat.

Præcepta est hæc in Paradiso. Gen. 3. 19. Præcipitur eadem à Paulo. Eph. 4. 28. *Qui furabatur, non amplius furetur, sed potius laboret, operando manibus quod bonum est ut possit impertiri ei, cui opus fuerit.*

Opponitur ei Otium & Vita inordinata, Artes lucrandi inhonestæ, Fœnus, Alea, Militia

tia mercenaria aliáque media diteſcendi per fas & nefas.

Vide quæ otioſis occinuntur, Proverb. 6. 1. & 12, 11, & Eccleſiaſt. 4. 1, 2. Reliqua ex ſuperioribus ſunt manifeſta.

CAPUT XIII.

In quo

De virtutibus et Operibus ad nonum Præceptum pertinentibus.

OFficium circa noſtras & proximi facultates, nunc officium circa noſtram proximique famam ſequitur, nono mandato præceptum.

Summa eius eſt, Ut proximi iuxtà et noſtram famam illibatam conſervemus.

Præceptum negativum eſt & ſynecdochicum. *Falſi* enim *teſtimonii* nomine omne id intelligitur, quo noſtra aut proximi fama aut exiſtimatio læditur. Hinc colligitur præceptum affirmativum. *Utno. ſtræ & proximi famæ tuendæ ſtudeamus.*

Vi tutes huius quoque præcepti duplices ſunt, aliæ ad proximum, aliæ ad nos ipſos relatæ.

Ad proximum relatæ præcipuè ſunt Veracitas et Candor.

Veracitas virtus eſt, quâ ad ea, quæ vera ſunt cognoſcenda, et ad cognita, ſicut ſe habent, proferenda ſeu ſignificanda propenſi ſumus.

Zach. 8. 16. Eph. 4. 25. *Loquimini veritatem quiſq; cum proximo ſuo.*

Opponitur eis in defectu, Veritatis neglectus (*a*) et Diſſimulatio vitioſa; (*b*) in exceſſu vero Mendacium, (*c*) et falſum teſtimonium. (*d*)

(*a*) Pſal 58. 5. *Venenum eſt illis, ſimile veneno ſerpentis ſicut i*

ſicuti aſpidis ſurdæ, obturantis aurem ſuam (b) Non omnis diſſimulatio culpabilis eſt; nec enim ſemper, quæ vera ſunt profiteri cogimur ut in ſequentibus apparebit. Sed ea diſſimulatio intelligitur, quando quod verum eſt, reticetur, cum gloriæ Dei aut proximi incommodo. (c) *Mendacium eſt, quo falſum, animo fallendi, verbis factiſve ſignificatur.* Ex hac definitione patet: I. Schemata, Metaphoras, Allegorias & ſimilia mendacia non eſſe, ſiquidem illorum veritas, non a rerum fictarum exiſtentia, ſed ab earum cum veris ſimilitudine pendet. Eadem eſt Ironiarum ratio, quæ non fallendi ſed erudiendi propoſito uſurpantur, qualiquis uſi ſunt Elias, 1. Reg. 18. & Micha, 1. Reg. 22. II. *Aliud eſſe, falſum dicere, aliud, mentiri:* falſum enim dici poteſt, aliorum dicta referendo, aut dicendo, quæ quis vera eſſe putat; is vero *mendacium dicit*, qui falſum, fallendi animo, proſert, ſeu ſermone, ſeu nutu, ſeu alio modo id fiat. III. Diſſimulationes, dolos & ſtratagemata in bellis non eſſe mendacia, modo abſit perfidia aut perjurium. Diſtinctio mendacii, in officioſum, jocoſum & pernicioſum, hoc tantum infert, mendacium aliud alio gravius eſſe: intereà nullum mendacium excuſandum, ſed fugiendum omnibus modis, tum, quia à Deo, qui Veritas eſt, graviſſimè interdicitur, Zachar. 8. 16. tum, quia eſt vitium diabolicum, Ioan. 8, 44. Quibus & pœna addenda, mendacibus ſuperventura, Pſal. 5. v. 7. *Perdis loquentes mendacium.* (d) *Teſtimonium falſum* aut extra iudicium perhibetur, aut in iudicio, à Iudice, à partibus litigantibus, à cauſidicis & à teſtibus. Qua de re legem ſeveriſſimam ſanxit *Deus*, Deuteronom. 19. 16. &c. *Si ſurrexerit teſtis injurius in aliquem, ad teſtificandum in eum apoſtaſiam, tum ſiſtunto ſe duo viri, quorum fuerit controverſia iſta, coram Iehova, ante Sacerdotes atque iudices, qui erunt in diebus iſtis, cumque inquiſiverint Iudices bene, ſi ecce teſtis falſus eſt, teſtis ille falſum teſtatus eſt contra fratrem ſuum. Omnino facite ei, quemadmodum mo litus fuerat, &c.*

Candor virtus eſt, quâ ingenuè et apertè cum

cum proximo agitur, dona Dei in eo agnoscendo (a) dicta & facta dextrè accipiendo (b), malis ambiguis fidem non temere adhibendo (c), comperta vero celando, (d) aut in meliorem partem interpretando (e).

(a) Philip. 2. 3. *Ex animi submissione alii alios sibi praecellere existimantes.* (b) 1. Cor. 13. 7. *Charitas omnia credit, omnia sperat.* (c) 1. Cor. 13. 5. *Charitas non cogitat malum.* (d) Prov. 10. 12. *Odium excitat contentiones, omnes vero delictiones obtegit charitas.* (e) Matth. 7. 1. *Ne judicate, ut nè judicemini, &c.*

Opponuntur ei varia vitia: suspiciones nimirum pravæ (a) Curiositas in vitiis proximi non emendandi sed calumniandi studio indagandis (b); Calumniæ ipsæ (c), & Adulatio (d).

(a) 1 Tim. 6. 4. *Ex quibus nascitur invidia, lis, maledicentia, suspiciones, &c.* Exempla in Heli. 1. Sam. 2. in Saule. 1. Sam. 22. in Hanone, eiusque Satrapis. 2. Sam. 10. In Melitensibus, Act. 28. (b) Luc. 6. 41. *Quid autem aspicis festucam, quæ est in oculo fratris tui; trabem autem, quæ est in oculo proprio, non animadvertis?* (c) Calumniæ fiunt, aut mendacia de proximo spargendo, Exod. 23. 1. *Nè effer to rumorem mendacii: ne apponito manum tuam cum improbo, agendo testem injurium;* aut verba factave proximi malitiosè interpretando, Matth. 26. 61. *Iste dixit; possum dissolvere templum Dei, & triduo ipsum ædificare;* aut veram quidem memorando sed in detrimentum proximi; 1. Sam. 22. 9. *Respondit autè Doeg Edomæus, qui adstabat cum servis Saulis dicens; Vidi filium Isai venientem Nobum, ad Abimelecum filium Ahitub, qui consuluit pro eo Iehovam, & viaticum dedit ei, etiam gladium Goliathi Philistæi dedit ei.* Basilius recte docet calumniatorem tribus perdonis simul nocere. Nam delatum iniuria afficit; auditores veritate privat; & co-

conſcientiam propriam ſauciat. Et Bernardus in eandem ſententiam ait, *Detractor & auditor detractoris uterque habent Diabolum; ille in lingua; hic vero in aure.* (d) Proverb. 27. 6. *Fidelia ſunt vulnera amici, deprecanda vero oſcula inimici.*

Veracitati & Candori tanquam præcipuis virtutibus ſubſerviunt, *Fides*, Gravitas, Taciturnitas, Comitas, Urbanitas, et Parrheſia.

Fides ſeu Fidelitas eſt dictorum ac factorum conſtantia.

Appellatur etiam *Sinceritas*, Epheſ. 4. 15. *Sincere nos gerentes in charitate.*

Opponitur ei Διπλόης in ſermone, qua homo aliud ſedendo, aliud ſtando loquitur, aliud dicit, aliud agit (a): Simplicitas imprudens quum aliquid temere promittitur, re nondum ſatis explorata (b): & ſimulata Simplicitas ac Fides (c).

(a) Pſal. 12. 2. *Defecerunt veraces ex filiis hominum. vanum loquuntur alter cum altero, labio blandi iarum, duplici corde loquuntur.* (b) Matth. 26 35. *Dicit ei Petrus, etiam ſi oportuerit me mori tecum, non tamen te abnegabo.* Similiter omnes Diſcipuli dixerunt (c) Matt. 2. 8. *Exquirite diligenter de puerulo, poſtquam autem inveneritis, renunciate mihi, ut ego veniam & adorem eum.*

Gravitas eſt, quæ non niſi probe ponderata Chriſtianam ſapientiam redolentia ac ad ædificationem facientia profert.

Coloſſ. 4. 6. *Sermo veſter ſemper cum gratia ſale conditus ſit, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.*

Opponitur ei Garrulitas (a), Stultiloquium (b) et Gravitas ſimulata (c).

(a) Vide inſignem locum de lingua frænanda, Iac. 3. 2, &c. (b) Eph. 4. 29. *Nullus ſermo putris ex ore veſtro egrediatur*

tor. (c) 1. Cor. 2. Et ego fratres cum venirem ad vos, non veni cum eminentia facundiæ, &c.

Taciturnitas est virtus, quæ secreta sibi commissa fideliter tegit.

Matth. 18. 15. Si vero peccaverit in te frater tuus, ito, & argue eum inter te & ipsum solum.

Opponitur ei Perfidia, quâ secreta revelantur (a) et Taciturnitas vitiosa, quâ celantur quæ non celanda (b).

(a) Prov. 11. 13. Ambulans cum detractatione revelat arcanum: at fidus animo tegit rem. Virtus hæc cum aliis, tum imprimis Ministros decet, ne in ipsorum sinum effusa temere evulgentur, nisi coniuncta sint cum Ecclesiæ aut Reipubl. damno; tum enim major habenda ratio unitatis, quam unius. (b) 2. Reg. 7. 7. Tum dixerunt alter ad alterum, non recte facimus, dies iste dies est boni nuncii, & nos taceremus?

Comitas virtus est, qua nos affabiles præbemus.

1 Pet. 3. 8. Estote denique concordes, mutuo molestiarum sensu affecti, fraterna charitate præditi, ad intimam misericordiam pronti, comes.

Opponitur ei Morositas (a) et Comitas simulata (b).

(a) Luk. 18 3, 4. Erat autem in urbe illa quædã vidua, quæ venit ad Iudicem, dicens, Vindica me ab adversario meo; ille autẽ noluit per multũ tempus. (b) 2. Sa. 15. 3, 4, Diceret ei Absalom, considera rationes tuas, bonæ sunt & rectæ: sed qui audiat, nemo est tibi à Rege. Et dicebat Absalom utinam ponerent me Iudicem in hac terra, ut ad me veniret, cuicunq; lis est aut causa, & justum pronunciarem ipsum. Erat etiam cum quis appropinquaret qui incurvando se honorem exhiberet ei, ut extensa manu sua eum apprehensum deoscularetur.

Urbanitas est, qua sermo liberalibus iocis et salibus conditur, ratione circumstantiarum, decori et honesti, habita.

Opponitur ei Rusticitas, qua quis nec libe-

rales

rales iocos commodè proferre, neque æquo animo audire poteſt, Scurrilitas item & Dicacitas ſeu Sermo aculeatus.

Epheſ. 5. 4. *Et obſcœnitas, & ſtultiloquium, & ſcurrilitas, quæ non conveniunt.*

Partheſia eſt virtus, per quam citra periculi metum veritatem loquimur, et peccantes corripimus.

Lev. 19. 17. *Nè odio habeto fratrem tuum in corde tuo, libere corripito proximum tuum, nè ferto in eo peccatum.*

Opponitur ei præpoſtera Timiditas (*a*). et nimia alios cenſendi Cupiditas (*b*).

(*a*) 1 Sam. 3. 15. *Samuel timebat indicare Heli iſtam viſionem.* (*b*) Lu. 6. 41. *Quid autem aſpicis feſtucam quæ eſt in oculo fratris tui?* Vitium hoc in iis cernitur, qui aut officii ratione non exigente, aut ex præpoſtero affectu, proximum cenſent ac reprehendunt: miniſtros quid deceat, patet ex 2 Tim. 4. 1. 2.

Hæc de virtutibus ad proximum relatis.

Virtutes ad nos relatæ ſunt Περιαυτολογία et Vita inculpata.

Περιαυτολογία eſt, qua de nobis ipſis modeſtè loquimur, et laudes proprias non niſi in neceſſaria exiſtimationis noſtræ defenſione commemoramus.

Rom. 12. 3. Enim vero per gratiam, quæ mihi data eſt, dico cuivis verſanti inter vos, nè ſapiat ſupra quam oportet ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem, &c.

Opponitur ei Impudentia, qua quis de vitiis ac ſceleribus ſuis gloriatur non dubita: (*a*) præfidens ac ſtulta Gloriatio: (*b*) et Extenuatio hypocritica propriæ virtutis et facultatis, cuius ſpecie aut vanam laudem quis aucupatur, aut beneficium præſtare recuſat. (*c*)

(*a*) Eſt,

(a) Esa. 3.10. *Obfirmatio vultus eorum testatur contra ipsos, & peccatum suum sicut Sodom enunciant non celant.* (a) Prov. 27 1. *Ne glorieris de diecrastino, quia nescis quid paritutus sit dies,* & v. *Laudet te os extranei, non autem os tuum: alieni, non autem labia tua.* (c) Taliter agunt, qui ubi proximus juvandus erat, indigentiam suam prætendunt, Prov. 24 11. *Eripe raptos ad mortem, &c. Si dicas, En ignoramus, hoc; nonne expendens animos, ipse intelligit?*

Vita inculpata est, quâ homo non tantùm bonam conscientiam apud Deum, sed et famam bonam apud proximum servare studet.

Pro. 22.1, *Optatius est nomen divitiis amplius argento & auro gratia melior,* Ecclesiast. 7 1. *Meliore homini fama unguento optimo.*

Opponitur huic Impietas seu Famæ ac Conscientiæ contemptus, (a) et famæ seu popularis auræ Affectatio hypocritica (b), nimiáque in defamatione ferenda Impatientia (c).

(a) Luk. 18 2. *Iudex quidam erat in quadam civitate qui nec Deum timebat, nec quenquam reverebatur.* (b) Mat 23.8. *Omnia vero opera sua faciunt ut spectentur ab hominibus.* (c) 2. Sam. 16.9, 13. *Tum dicenti. Abisaio, Quare maledicere t canis iste mortuus Domino meo regi? transeam, quæso, ut auferam caput eius: Dixit Rex, Quid mihi vobiscum, filii Zerviæ? si maledicit, atque si Iehova edixit ei, Maledic Davidi? ecquis dicat, Quare sic facit.*

CAPUT. XIV.

In quo

De Virtutibus & Operibus ad decimum Præceptum spectantibus.

HActenus de officii nostri erga Proximum seu cultûs Dei mediati partibus actum est: nunc de supremo ejusdem gradu, præcepto decimo.

Summa-

Summa ejus est, Ut animus quoque noster alienus sit à pravo appetitu, cogitatione et affectu erga nos aut proximum.

Præceptum negativum est, *Non concupiscies*, quo inordinati appetitus, cogitationes & affectus prohibentur. Reliqua ad declarationè faciunt ex objecto petitam: quæ membratim fit, expresse nominando *domum, uxorem, servum, ancillam, bovem & asinum*. summatim vero hac clausula. *& quic quid est proximi tui.*

CANONES.

1. *Ut primum & secundum Præceptum malè confunduntur, ita decimum in duo præcepta de domo proximi, & de ejus uxore perperam discerpitur.*

Rationes. I. Unitatem Præcepti docet communis clausula, *Et quicquid est proximi tui.* II. Substantia præcepti in his verbis consistit, *Non concupisces*, ut citatur a Paulo, Rom. 7. 7. III. Uno versu & una sententiâ comprehenduntur; cum præcedentia, quatumvis brevia, singulis verbis exprimantur. IV. Deut. 5. prius de concupiscentia uxoris agitur: si igitur duo præcepta essent, Moses ex decimo fecisset novum. V. Qui contrariam sententiam tuentur, hæc coniunctim explicant, & exemplis declarant. David Chytræus de Regulis Vitæ, & Hondorffius in Promptuario.

11. *Præceptum decimum ad secundam Tabulam pertinet.*

De interno enim effectu erga Deum agitur primo prioris tabulæ præcepto.

111. *Justitia originalis non hujus præcepti, sed totius Decalogi objectum exstitit.*

Justitia enim originalis conformitas est cum tota Lege, sicut peccatum originale deformitas est toti Legi repugnans.

1V. *Proprium objectum hujus præcepti, sunt appe-*

appetitus, cogitationes et affectus hominis erga se et proximum.

V. *Finis eius est ut pateat, mediatum quoque Dei cultum non externis tantum actionibus, sed et intimis affectibus præstandum esse.*

VI. *Vt igitur primum præceptum primæ tabulæ, ità hoc quoque secundæ tabulæ norma et regula existit.*

Ut enim primum Præceptum cor ipsum, reliqua actiones quoque regunt; ità præceptum quintum, sextum, septimum, octavum, nonum, actiones; decimum vero cor ipsum quoque dirigit. Unde apparet, præceptum hoc minimè supervacaneum esse.

*V*irtutes ad hoc Præceptum facientes, sunt Concupiscentiæ ordinatio, et Lucta adversus pravas cupiditates.

Concupiscentiæ ordinatio est, qua appetitus et affectus nostri sic reguntur, ut iis nec in nos ipsos, nec in proximum nostrum peccemus.

1. Thess. 5. 23. *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos totos, &c.*

Opponitur ei Concupiscentia inordinata, quæ Concupiscentia κατ' ἐξοχὴν in Scriptura dicitur.

Ro. 7. 7. *Nam etiam concupiscentiam non nossem, nisi Lex dixisset, Non concupisces.*

Partes huius ordinationis duæ sunt, una circa appetitus, altera circa affectus occupatur.

Concupiscentiæ vox apud Theologos latius accipitur quatenus & appetitus & affectus significat, quorum illi hominis tribuuntur, quatenus animal est, hi vero; quatenus homo est: A Philosophis vero strictius usurpatur; sic, ut appetitus inferiores ad concupiscibilem, affectus vero ad irascibilem facultatem referant.

Ap-

Appetitus ordinati sunt, quibus homo cibum, potum, quietem, somnum, et similia, moderatè et ad finem à Deo destinatum appetit.

1 Tim. 5. 23. *Nè ampliùs esto abstemius: sed vino pauculo utere, propter stomachum tuum & crebras infirmitates tuas.*

Opponitur ei Appetitus inordinatus, quo plus appetitur, quàm natura aut Dei ordinatio requirit, aut alio fine quám eo, ad quem Deus res naturales licitas destinavit.

Rom. 13. 13. *Non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & protervis.*

Affectus præcipui sunt: Amor, Odium, Gaudium, Tristitia, Spes, Metus et Ira.

Amor ordinatus est, quo proximum sincere diligimus, et quæ bona, pulchra, et boni nominis sunt, desideramus.

Rom. 12 9, *Dilectio esto minime simulata. Estote abhorrentes à malo, agglutinati homo,* Phil. 4 8. *Quæcunque sunt vera, quæcunq; veneranda quæcunq; justa, quæcunq; pura, quæcunq; amabilia, quæcunq; boni nominis siqua virtus & siqua làus est, hæc cogitate.*

Opponitur ei Amor proximi nimius, (a) φιλαυτία, (b) Amor impurus, (c) et Amor hujus Mundi. (d)

(a) 1. Sam 2. 29. *Honorasti filios tuos supra me.* (b) 2. Tim. 3. 2. *Erunt homines sui amantes.* (c) Pro. 6. 25. *Ne desiderato pulchritudine mejus, neque te capiat palpebris suis.* (d) 1. Ioa. 2. 5. *Ne diligite mundum, &c.* & v 16. *Quoniam quicquid est in mundo cupiditas carnis, & libido oculorũ, & fastus vitæ, non est ex Patre, sed ex mundo est.*

Odium ordinatum est, quo eos tantum odio prosequimur, qui Dei osores sunt (a): in cæteris hominibus ac nobis ipsis non personam, sed peccatum, omnibus modis odimus et aversamur. (b)

(a) Psal.

(a) Psal. 139. 21. *Annon odores tuos, O Iehova, odio habeo? &c.* (b) Matth. 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipsum solum, &c.* Rom. 7. 19. *Non enim facio bonum quod volo, sed malum, quod nolo: hoc ago.*

Opponitur ei odium proximi in Justum (a). & odium bonorum (b).

(a) 1 Joh. 3 15. *Quisquis odit fratrem suum, homicida est* (b) Psl. 51. 6. *Inimici mei de me dicebant, quando morietur.*

Gaudium ordinatum est, quo homo de propria incolumitate moderatè (a). & de proximi felicitate ex animo lætatur (b).

(a) Psal. 30 12. *Convertisti planctum meum in chorea-* *am mihi.* (b) Rom. 12. 15. *Gaudete cum gaudentibus.*

Opponitur ei Gaudium carnale & immoderatum (a). Gaudium item de infortunio proximi seu Ἐπιχαιρεκακία (b).

(a) Luk 6. 25. *Væ vobis qui ridetis nunc: nam lugebitis* *& flebitis.* (b) Pr. 24. 7. *Cum cadit inimicus tuus, ne lætato.*

Tristitia ordinata est, quâ proprias ærumnas moderatè lugemus (a). proximo verò afflicto ex animo condolemus (b).

(a) Iac. 5. 13. *Æger est animo aliquis inter vos?* *ret.* (a) Rom. 12. 15. *Flete cum flentibus.*

Opponitur ei Tristitia immoderata (a). Tristitia item de bonis proximi (b). et Tristitia nimia de improborum pœna (c).

(a) Pr. 17. 22. *Animus lætus bene medicinam facit spiritus autem fractus exsiccat ossa.* (b) Math. 20. 15. *An oculus tuus malus est, quia ego bonus sum?* (c) 1. Sam. 16. 2. *Quousque lugeres de Saule cum ego spreverim eum; &c.*

Spes ordinata est, qua homo de sefect proximo, ex charitatis, lege meliora expectat

De

De ſpe, quatenus virtus eſt, ſupra actum, 1. Cor. 13. 7. *Charitas omnia ſuffert omnia credit, omnia ſperat.*

Opponitur ei Spes inordinata, qua plus ſpei in nobis aut proximo collocamus.

Ier. 17. 5. *Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine.*

Metus ordinatus eſt, quo ſolicitè ambulamus, nec nobis nec aliis hominibus nimiùm fidentes. Prov. 14. 8. *Sapientia aſtuti eſt advertere ad viam ſuam.*

Opponitur ei Metus inordinatus, quo homo ſibi ab aliis nimium timet.

Matth. 10. 28. *Ne timete vobis ab eis, qui crucidant corpus, &c.*

Ira ordinata eſt, quâ homo aut ſibi aut aliis juſta de cauſa, moderatè tamen, & cum emendationis propoſito, ſuccenſet.

Epheſ. 4. 26. *Iraſcimini, & ne peccate.*

Opponitur ei Ira inordinata, quâ homo aut levibus de cauſis, aut plùs quàm par eſt, excandeſcit, aut vindictam privatam meditatur.

Iac. 1. 10. *Ira viri juſtitiam Dei non exequitur.*

Tantum de Concupiſcentiæ ordinatione. Luctæ adverſus tentationes & pravæ conſcientiæ inſultus eſt, quâ homo Chriſtianus pravam concupiſcentiam abnegat, carnem ſuam unà cum cupiditatibus crucifigit, & adverſus Carnis, Satanæ, & Mundi impetus ſtrenuè vigilat & militat.

Rationes, quæ nos ad ſtrenue luctandum incitant, ſunt plurimæ. I. Quia Scriptura cupiditates pravas prohibet. Prov. 6. 25. 1. Cor. 10. 6. Gal. 5. 6 26. Coloſſ. 3. 5. 1. Theſſ. 4, 5. II. Quia cupiditatibus deditus Deum non amat 1. Ioan. 2, 15, 16, III. Quia cupi-

cupiditates in regenitis turpes sunt. Gal. 5, 16. 17. IV. Quia accendunt iram Dei, Col. 3. 5, 6. V. Quia adversus eas nos Apostolus Dei πανοπλίαν instruit, Eph. 6. *Vincuntur à nobis invisibiles cupiditates*, Aug. VI. Quia cupiditatum ignis nocentissimus est & in tristissimos lapsus erumpit. Exemplis Scriptura plena est. Nullum unquam peccatum admissum est, cuius scaturigo non fuerit prava concupiscentia.

Opponitur huic Securitas carnalis, quâ homo carni suæ blanditur, quâ cupiditates sponte invitat quâ otio & inertiæ (quæ satanæ pulvinar est) sese dedit, quâ sacra exercitia intermittit, quâ cor intemperantia, avaritia & similibus vitiis gravat.

Luctæ contra cupiditates tres gradus sunt; contra suggestionem, delectationem, & assensum.

Ad hos gradus intelligendos facit illud Iacobi 1. 14. *Unusquisque tentatur, dum à propria concupiscentia abstrahitur, & inescatur: Deinde cupiditas, postquam concepit, parit peccatum, peccatum vero perfectum gignit mortem.* Primum itaque repugnandum suggestioni seu cogitationibus: quæ aut ascendentes sunt, ex concupiscentiæ fomite, aut descendentes aliunde suggestæ. Priores vitio non carent: posteriores, si maxime à Satana iniiciantur sed præterveolent, & a te non recipiantur, peccata non sunt. Quod si primum gradum evitare non possumus, secundum declinemus, ne cum delectatione pravas cogitationes foveamus. Imprimis autem cavendum à tertio gradu, nè assensum præbeamus. Nam concupiscentiæ malum tanto augetur magis, quanto ei magis obeditur. Quod ut magis magisq; vitemus, faxit Deus Pater in filio suo per Spiritum Sanctum cui trinuno Deo sit laus, honor & gloria in secula seculorum. *Amen.*

FINIS.

SERIES CAPITUM

LIBRI PRIMI.

I	De Essentia Dei.	Pag. 10
II	De Personis Deitatis.	16
III	De operibus Dei in genere, & Dei Decretis.	23
IV	De Prædestinatione.	29
V	De Creatione.	35
VI	De Actuali Dei Providentia.	42
VII	De Gubernatione Angelorum.	46
VIII	De Gubernatione hominis in statu Innocentiæ.	51
IX	De Lapsu primorum Parentum.	54
X	De Peccato Originali.	58
XI	De Peccatis Actualibus.	64
XII	De Pœna Peccati.	66
XIII	De Lege Morali.	69
XIV	De Lege Cæremoniali & Forensi.	75
XV	De Evangelio.	83
XVI	De Persona Christi Θεανθρώπου.	85
XVII	De Officio Christi Mediatorio.	100
XVIII	De Christi Exinanitione.	103
XIX	De Christi Exaltatione.	121
XX	De Vocatione Electis & Reprobis communi.	129

XXI	De *Fœdere Gratiæ.*	132
XXII	De *Sacramentis in genere.*	136
XXIII	De *Baptismo.*	148
XXIV	De S. *Cœna.*	155
XXV	*De Ecclesiæ visibilis natura.*	160
XXVI	De *externa Ecclesiæ Administratione.*	169
XXVII	*De Falsa Ecclesia.*	182
XXVIII	De *Vocatione speciali Electorum.*	191
XXIX	De *Fide salvifica.*	198
XXX	De *Justificatione.*	202
XXXI	De *Sanctificatione.*	211
XXXII	De *Sanctorum perseverantia.*	214
XXXIII	De *Libertate Christiana.*	216
XXXIV	De *Christi reditu, & de Mortuorum Resuscitatione.*	219
XXXV	De *Judicio ultimo.*	229
XXXVI	De *Consummatione seculi huius & de Vita æterna.*	234

SERIES CAPITUM LIBRI SECUNDI.

I	De *Bonorum operum Natura.*	241
II	De *Virtutibus ad totum Decalogum seu Dei cultum spectantibus.*	245
III	De *Virtutibus primi Praecepti.*	248

IV	De *secundo, tertio, quarto Præcepto generatim.*	253
V	De *Virtutibus secundi Præcepti.*	258
VI	De *Virtutibus tertii Præcepti.*	273
VII	De *Virtutibus quarti Præcepti.*	281
VIII	De *Virtutibus Tabulæ secundæ generalibus.*	285
IX	De *Virtutibus quinti Præcepti.*	291
X	De *Virtutibus sexti Præcepti.*	297
XI	De *Virtutibus septimi Præcepti.*	302
XII	De *Virtutibus octavi Præcepti.*	313
XIII	De *Virtutibus noni Præcepti.*	320
XIV	De *Virtutibus decimi Præcepti.*	326

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

ABnegatio veritatis. 280
Adami & Evæ lapſus. 55
Adamus in lapſu non ut privata perſona conſiderandus. 57
Adjuratio quid. 279 quatenus ei parendum. ib. Diabolorum. ib.
Adoratio religioſa Idolorum. 269. Hoſtiæ, Crucis, Reliquiarum. 271. Sanctorum, Angelorum, & Demortuorum. ib.
Adulatio. 321
Adulteriũ quid, et num divortium pariat. 311
Adventus Chriſti ultimus. 219. Ejus ſigna. 220
Affectus quotuplices. 285
Agnitio Dei. 249
Agnus Dei idololatricus. 271
Amicitia vera & fucata. 291
Amor ordinatus & inordinatus. 328
Ἀναιδησία. 302
Angeli quãdo creati. 36 quid 38. quali corpore apparuerint. ib.
Angelorum bonorum caput. 46
Felicitas, ordo, officium ib. adoratio num licita. 269
Angelorum malorum Ἀπραπία 47 Princeps & qualitates reſiduæ. 48
Animæ humanæ origo 39 immortalitas, 41. facultates. ib.

Antichriſtus quid & quis, 184. ejus ruina quomodo judicii ſignum. 185
Apoteleſma Chriſti quid ſit. 96
Appetitus ordinatus & inordinatus. 285
Arbor ſcientiæ boni & mali quid. 52
Arca fœderis. 79
Aſcenſio Chriſti ejuſque fructus. 122
Ἀσωτία. 269
Atheiſmus. 249
Avaritia. 318
Audacia. 299
Αὐτάρκεια. 317
Αὐτοχειρία. 298

Baptiſmi vox quid ſignificet. 148. à S. Cœna differentia. 158
Baptiſmus an à privato adminiſtrandus. 149 trina an una aſſperſione peragendus. 151 Infantibus an conferendus. 153. quomodo ad ſalutem neceſſarius. 154. Chriſti & Joannis an idem. ib.
Beatitudinis æternæ gradus ſint futuri. 239
Bellum quatenus licitum. 301
Beneficentia. 317
Benevolentia. 296
Bona Eccleſiaſtica. 172

Calumniæ. 321 Calumniarum ferendarum impatientia. 326
Candor. 320, 321
Caſtitas quid, & cur ei ſtuderdum. 304
Cenſendi libido. 324
Charitas erga Deum, 251. erga proximum quid et quotuplex. 290
Chriſtus æternus Deus. 19, 20. ejus incarnatio 90. quot modis primogenitus dicatur 99. in cruce an deſperârit. 107 quale poſt reſurrectionem corpus habeat, 124. quomodo in S. Cœna præſens. 139
Clavium poteſtas quid, 177. quomodo a poteſtate Magiſtratus differat. 179
Clementiâ. 299
Cœna Domini, 155.

eius à Baptismo differentia 158
Comitas 323
Communicatio Idiomatum 92
Conceptio Christi 89
Consilium eiusque convocandi ratio 181
Concupiscentia originalis 59 actualis, 330. luctæ adversus eam ib.
Confessio veritatis 280
Coniugium, quid, qualiter & inter quos contrahendum, quibus de causis dissolvendum 305
Conscientia 247
Consecratio vera & superstitiosa 275
Consilia præter Legis præcepta à Pontificiis conficta 242
Constantia 248
Consummatio seculi 234
Contemptus superiorum 294
Contractus qualiter instituendi. 314
Corpus Christi post resurrectionem quale 124 num adhuc sit in terra 125 in S. Cœna quomodo præsens 139.158.
Correctionis impatientia 295
Creatio 35
Crudelitas 288
Cultus Dei verus 264 spontaneus 247
Cultus idolorum 269
Cupedia 303
Cupiditates pravæ 330
Curiositates 321

DAmnatio an sit finis reprobationis 34
Damnatorum status 66
Decalogus; eius partes interpretandi regulæ 73
Decretum Dei quid 25. eius causæ, obiecta, unū an multiplex &c. 27. (109
Descensus Christi ad inferos 109
Desertio malitosa an pariat divortium 311
Desperatio 251
Detentio Christi triduana in sepulcro 109
Deus eiusque nomina, essentia, proprietates 10,11.

Diffidentia erga Deum 250
Διπλότης 322
Dissimulatio licita & illicita 246
Dolus quando licitus 302
Δοξίσοφοι 247
Dubitatio de bonitate & potentia Dei 251

EBriositas 303
Ecclesia quid 160, eius forma 162 caput ibid. quomodo una, sancta, Catholica 163 an errare possit 164 eius notæ 165 administratio 167
Electio, pro vocatione ad officium 129 pro vocatione spirit. 192 pro Dei decreto qd, quæ eius causæ notæ 28
Electi an reprobi fiant 215
Eleemosyna 317
Ἐπιείκεια 340
Ἐπιχαιρεκακία 290
Ἐθελοθρησκεία 264
Evangelium quid 83. à Lege quomodo differat 84
Exaltatio Christi 121
Exinanitio Christi 103

FAma bona 325
Fœdus gratiæ 132 Novum et Vetus quomodo differant 134 utriusque sigilla 142 fœdus operum et sigilla ejus. 52
Festa 80
Fidei præsumptio 249
Fides, pro cultus divini parte ibid. pro dictorum et factorum constantia 322 miraculorum temporaria, historica 198 salvifica quid, ibid. unde 199 qualis, quot eius gradus 201 quo sensu justificare dicatur 204 implicita quid 200
Fiducia pro forma fidei 201 pro effectu fidei et bono opere 250 Idol. latrica ib.
Fortitudo 240
Frugalitas 318
Furtum quid, quotuplex 312

GArrulitas 322
Generatio Christi duplex 98 Ge-

Gestus externi in precibus. 261
Gloriatio stulta. 324
Glorificatio nostri. 238
Gratitudo erga Deum. 252. erga superiores. 293
Gravitas. 322

HÆreticus quis. 183
Hominis creatio. 37 quadruplex status. ib.
Homo quid. 39
Homo ante lapsũ quomodo immortalis 54. ante vocationem qualis 193.
Homicidium 297
Honestas 305
Hostiæ adoratio 270
Humanæ naturæ Christi excellentia 96, adoratio 97 an divinæ naturæ exaltatione sit exæquata 126
Humanitas 288
Hypocrisis 247

IDololatria quid & quotuplex 265
Idolum quid et quomodo à simulacro et imagine differat ib.
Jejunium quid, quotuplex et quomodo celebrandum 262
Ignavia 297
Imago Dei quid 38 quibus donis constet 52 quid de ea post lapsum reliquum 59
Imagines Christi et Sanctorum num sint Idola 260 et picturæ SS. Trinitatis 267
Immisericordia 290
Impatientia 253
Imprecationes 279
Imprudentia 247
Incarnatio Christi 86
Inconstantia 48
Indulgentia nimia 300
Induratio quomodo Deo tribuatur 45
Infantum Baptismus et fides 153
Infernus ubi 67
Infidelitas 249
Ingratitudo erga Deum 252
Inhumanitas 288
Injuriæ propulsatio legitima 298
Inobedientia erga superiores 295
Integritas 247
Intemperantia 303

Intercessio Christi 120
intercessores Pontificiorum ibid.
Invidia 288
Iracundia 300
Irreverentia erga superiores 294
Judicium ultimum, quid; quæ ejus circumstantiæ et signa 229
Juramentum quid et quotuplex 276 à quo et quomodo præstandum. ibid. præstitum cur servandum 277 delati detractatio ib.
Justificare in Scripturis quid sit 202
Justificationis causæ, partes ibid.
Justitia in Scripturis quot modis dicatur 210. Christi quid, quotuplex 116. in proximum quid et quotuplex 292. commutativa quomodo exercenda, ibid. superiorum erga inferiores 296. vindicatrix 300

Labor ante lapsum qualis 54
Lapsus primorum parentum: ejus causæ ib.
Levitarum officium 77
Lex quid 69. cur post lapsum repetita 70 an à Christo correcta 71. ab Evangelio quomodo differat 83. ceremonialis et forensis 75
Liberalitas 317
Libertas, essentialis voluntatis proprietas 42
Christiana 216
Liberum arbitrium quotuplex 52
Limbus patrum et infantum 69
Lux primigenia 37

Magistratui quomodo obediendum 179
Magistratus Ecclesiæ nutricii ib.
Magnificentia 317
Malevolentia 288
Malorum duorum quomodo minus eligendum 46

Man-

Manſuetudo 299
Maria Θεοτόκος Virgo manſit 98
Mediator noſter Chriſtus 102
Mendacium ullum num licitum 320
Meriti conditiones 244
Meritum de congruo et condigno ibid.
Miniſtri Eccleſiæ quotup'ices 169 eorum vocatio 172 officium in tacendis ſecretis 178
Miſeria noſtra quotuplex 54
Miſericordia 289
Mors hominis quadruplex 66. Chriſti quals 107 an pro omnibus hominibus 114
Mundi interitus qualis 135

NAtivitas Chriſti cum eius fructu 97
Nazaræi 77
Nominis divini ſanctificatio 273
Notæ Eccleſiæ 165

OBedientia Chriſti activa et paſſiva 104 utriuſque neceſſitas 116 Chriſti activa quomodo olim adumbrata 119 Chriſti paſſiva quomodo cauſa ſit vitæ æternæ 118
Odium D.i 251 proximi 287
Officii Chriſti functio in ſtatu humiliationis 104 125 et in ſtatu exaltationis 126
Officium Chriſti Mediatorium quid 100 ſecundum quam naturam Chriſto tribuatur 101 quotuplex ſit 103
Opera bona quæ 241 an iuſtificent 210 an ab regenitis præſtentur 244 quatenus ad ſalutem neceſſaria ib.
Chriſti Mediatoria & Θεανθρικα 89. Dei quotuplicia 23 ſupererogationis qualia 242
Oratio quid 259 quæ partes eius ib. cauſæ impulſivæ ib. perfecta idea in Orat. Domin. ibid. pro quibus & contra quos 261
Otium 318

PAnis Eucharisticus qualis 156
Parthesia 324
Parsimonia 318
Passio Christi 105 nulla eius particula à λύπῃ excludenda 106 quomodo tribuatur Christo, & quotuplex sit 111
Patientia 253
Peccatum quid, unde, quotuplex 54, 55. primum originale 58 &c. actuale 64 in Spiritum sanctum ibid.
Perfidia 323
περιαυτολογία 324
Periurium 277
Perseverantia Sanctorum 214
Perseveratio in peccatis 252
Persona Christi quot modis consideretur 85
Personæ Deitatis quid & quot 16, &c. illarum Trinitas & Unitas 22
persona ὑπόστασις & ὑφεστὼς quomodo differunt 16,
Pertinacia in malo 248
φιλοπονία 318
Pignora acceptanda aut restituenda 316
Poculum Domini Laicis non eripiendum 155
Pœna damnatorum 66
Pœnitentia 252
Πολυπραγμοσύνη 297
Polytheismus 249
Prædestinatio quid, quotuplex 29 ac absolute facta 30 media eius exsequendæ 31
Πρόγνωσις, προορισμός & πρόθεσις quomodo differant 32
Profusio 318
Promptitudo Deo serviendi 247
Propiciatorium 79
Providentia Dei æterna 25. differentia eius à fato 43 circa peccata ut versetur ib.
Prudentia 246
Pudicitiæ conservandæ media 305
Quiritatio in afflictionibus 253
REdemptionis necessitas ex Lege, Veritas ex Evangelio 69

Redemptor quis 90 cur Deus & homo 88
Reditus Christi v. Adventus
Reformatio Religionis 254
Reformatorum Religionis vocatio an legitima fuerit 174
Regenerationis vox variè sumpta 211
Regnum Christi quotuplex & quomodo Patri tradendum. 127
Religio vera quid 254 eius antiquitas ib. num armis defendenda 255
Religionis vox variè accepta 254
Reliquiarum cultus 271
Reprobatio an sit 33 eius causæ ibi.
Resurrectio Christi 121 mortuorum 228
Reverentia erga superiores 293
Ritus Deum colendi verus 264
Rusticitas 323

Sabbati sanctificatio & profanatio 281
Sacerdotes Papani 113
Veteris Testamenti 76
Sacerdotis summi ornatus 77
Sacramenta ante lapsum 51
Novi Testamenti quomodo veteribus clariora 144, &c. quinque à Pontificiis conficta 146, &c.
Sacramentales phrases 140
Sacramentorum et Verbi differentia 143 Veteris et Novi Testamenti differentia 144
Sacrificia Veteris Testamenti. 145 quid et quotuplicia 80, &c.
Sacrificio Christi contraria est Missa 113
Salutis certitudo 214, &c.
Sanctificatio quid 180. ejus causæ 211, Nomin. Dei 274
Sanctorum adoratio 271
Sapientia 245
Scientia Christi quotuplex 93

Scripturæ S. divinitas 3, autoritas 6, &c. Libri perfectio 7, lectio, translatio, sensus. 8, 9.
Scurrilitas 324
Securitas carnalis 251
Sedulitas 297
Sepultura Christi 109
Signorum quatuor species 140
Simplicitas ficta 322
Simulare quando liceat 320
Sobrietas 303
Sors 279
Spes 250 (37
Stellarum creatio et usus
Stultitia 246
Stupor Dei gloriam non curans 274
Superstitio 272
TAbernaculum eiusq; instrumenta 78
Taciturnitas 323
Temperantia 302
Tempora sacra 81
Testamentum Vetus et Novum, Vide Fœdus.
Testimonium falsum 319
Theologiæ præcognita 1
Timor Dei 251 servilis et filialis ibid.
Tropus quomodo in verbis S. Cœnæ 141
Tyrannis 296
VEracitas 322
Verbum Dei ἀγραφον & ἔγγραφον. 2
Verecundia 304
Versutia 247
Vigilantia 304
Vigiliæ superstitiosæ ib.
Vindictæ studium 299
Vita æterna 239
Unio naturæ divinæ & humanæ Christi 91 sig. ni & signati in Sacramentis 139
Vocatio quotuplex 129 electis & reprobis communis 131 electis propria 193 à communi quomodo differt 197
Voracitas 303
Votum quid 263 quotuplex Ib.
Urbanitas 323
Usuralicita & illicita 315 316
Zelus pro Dei gloria 274

FINIS.

ANATOME
Corporis Theologici
in XI. Tabulas distributa.
TAB. I.



TAB.

TAB. III.



TAB. III.

TAB.

TAB. V.

TAB. V.

TAB.

TAB. VI.

TAB. VII.

TAB.


Colendo. Cultus autem Dei complectitur virtutes
Generales
Intellectus
Sapientia.
Prudentia.
Voluntatis
Sinceritas.
Promptitudo.
Constantia.
Speciales, pertinentes ad Cultum Dei
Immediatum, iuxta Tabulas vtrasque
Internum tantum secundum Præceptum I, quo præcipitur
Agnitio Dei.
Religiosus erga eum affectus in
Fide
Fiducia
Spe
Charitate
Timore
Pœnitentia
Gratitudine
Patientia
Externum interno imitatum, qui Religio dicitur, cuius
Partes
Præcepto II. Ritus Deum colendi solennes eius partes
Recta tractatio
Verbi
Sacramentorum.
Oratio quæ, vel
Invocatio
Gratiarum actio
Administricula
Ieiunium
Votum.
Præcepto III. Sanctificatio Nominis Dei, quæ fit
In affectu, zelo gloriæ Dei
In effectu
Verbis, nomini Dei
Usurpatione in
Consecratione
Iuramentis
Sortibus
Confessione.
Factis, vitæ pietate.
Tempus. Sabbatum, qd ex Præcepto IV. sanctificatur
Omittendo opera nostra
Faciendo à Deo præcepta ut sunt
Cultum religiosus
Opera charitatis
Mediatum, Vid. Tab. IX.

TAB. IX.


Medium Cultui juxta Tab. II. complectitur virtutes
Generales, quales sunt
Charitas
Erga nos ipsos.
Erga proximũ, qua considerata
absolutè, est
Humanitas.
Benevolentia.
Misericordia.
reciproce, est
Charitas fraterna.
Amicitia.
Iustitia
distributiva.
commutativa.
Speciales, pertinentes ad cultum mediatum
Partes, de officio
Superiorum, & Inferiorũ, requiritur enim ex Præcepto V.
Abinferioribus
Reverentia,
Obsequium,
Gratitudo.
A Superioribus
Propensio,
Iustitia,
Sedulitas.
Quorumvis erga quosvis: in bonis
Intereris
Vita; ad cujus, in nobis & proximo, cõservationẽ, ex Præc. VI. requiruntur virtutes relatæ.
ad nos
Innocentia,
Mansuetudo,
Clementia,
Temperantia.
ad alios
Vindicatrix justitia,
Fortitudo.
Pudicitiacini servandæ ex præc. VII. requirun-tur media mandata
Omnibus: Temperantia, quæ
tum
Sobrietas,
Castitas.
tum
Verecundia,
Honestas.
Quibusdã: Conjugiũ.
Externis. vid. Tab. X.
Gradum Summum. Vid. Tab. IX.

TAB X.

TAB. X.

TAB. XI.



FINIS.